



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Capvt Qvartvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

& velle, & perficere pro bona voluntate attribuit Deo: non suo arbitrio. Si ergo tria haec, (haec
 est bonum cogitare, velle, perficere) operatur in nobis, primum profecto sine nobis, secundum
 nobiscum, tertium per nos facit: siquidem immitendo bonam cogitationem, nos praenit, im-
 mutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum iungit, ministrando & consensui fa-
 cultatem, foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit: sane ipsi nos praenire
 nequaquam possumus, & Deo ergo sine dubio nostra sit salutis exordium, nec per nos utique, nec
 nobiscum, verum consensus, & opus est non ex nobis, non iam tamen sine nobis. Cauendum
 ergo ne cum hac inuisibiliter intra nos ac nobiscum altitari sentimus, aut nostra voluntati at-
 tribuamus, quae infirma est, aut Dei necessitati quae nulla est, sed soli gratiae, quae plenus est:
 ipsa liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum: sanat, cum immutat affectum, re-
 borat ut perducatur ad actum: seruat, ne sentiat defectum: ira tamen quod à sola gratia ceptum
 est, pariter ab utroque perficitur, ut mixtum, non sigillatim simul, non vicissim per singulos
 profectus operentur: non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere
 indiuiduo peragunt: totum quidem hoc, & totum illa, sed ut totum in illo, sic totum ex illa.
 Credimus placere lectori, quod à sensu Apostoli nusquam peccidimus, & quaquaersum eua-
 ngelium oratio, in eadem penè ipsius verba frequenter recidimus. Quid enim nostra aliud sonat
 quam illud, ergo neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Quod sane non ideo
 dicit, quasi quis velle, aut currere possit in vanum, sed quod is, qui vult, & currit, non in se,
 sed in eo à quo accipit, & velle, & currere, debeat gloriari. Denique ait, Quid habes quod non
 accepisti? sua iustitia hominem Deus voluit habere consortem, ut & corona faceret promerito-
 rem: in eo enim sibi iustitia consortem & coronae statuit promeritorem, cum operum quibus
 erat illa repromissa corona, habere dignatus est coadiutorem: porro coadiutorem fecit,
 cum fecit volentem, hoc est, sua voluntati consentientem. Itaque voluntati in auxilium, au-
 xilium, reputatur in meritum: nec dubium quin à Deo sit & velle & perficere pro bona vo-
 luntate, Deus igitur auctor est meriti, qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat vo-
 luntati. Haec Bernardus. Atque haec breuiter, quo non nihil lucis huic sententiae
 afferretur.

ARGUMENTVM CAPITIS.

Postquam Ioannes septem minoris Asiae Episcopos, & in eis vniuersos Eccle-
 siae Praelatos ad munus suum rite obeundum adhortationibus, & praeceptionibus
 erudiuit: deinceps se ad vniuersam Ecclesiam statum describendum, persecutiones,
 victorias, palmas, denique omnia, quae eius usque ad finem mundi decursum com-
 plectuntur, commemoranda per visionum suarum aenigmata conuertit. Cum autem
 septem sint potissima huius operis visiones, ut initio diximus. Secunda hoc capite
 incipit ad principium usque octauae pertingens, splendore & maiestate admi-
 rabilis. Hoc verò capite solum describitur Dei ipsius, seu Trinitatis maiestas, quae
 Apocalypsim Christo, & per Christum Ioanni reuelauit: quae admodum autem
 Deus sese per visum Ioanni ostenderit, ex his, quae mox dicemus, planum fiet.



OST hęc vidi: & ecce ostium apertum in celo, & vox prima, quam audiui tanquam tꝛabę loquentis mecum, dicens; Ascende huc, & ostendam tibi quę oportet fieri citò. Post hęc, statim fui in spiritu. Et ecce, sedes posita erat in cęlo, & supra sedem sedens. Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis iaspidis, & sardij, & iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinaę. Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos, viginti quatuor seniores sedentes circumamicti vestimentis albis, & in capitibus suis coronę aureę. Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua: & septem lampades ardentes ante thronum, quę sunt septem spiritus Dei. Et in conspectu sedis, tanquam mare vitreum simile crystallo, & in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante, & retro. Et animal primum, simile leoni. Et secundum animal, simile vitulo. Et tertium animal habens faciem velut hominis, & quartum animal, simile aquilę volanti. Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas in circuitu: & intus plena sunt oculis: & requiem non habebant die ac nocte, dicentia; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. Et cum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in sæcula sæculorum: procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes; Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.

C O M M E N T A R I U M

PRIMUM EXEGETICUM.

De secunda visione Ioannis.

Tota huius capituli visio imaginaria describitur.

SECTIO PRIMA.

- I. **P** R I M U M, Ioannes per visionem imaginariam vidit ostium apertum in caelo. Secundò? Audiuìt vocem tanquam tubæ secum loquentis, (vbi quemadmodum ex Græco contextu patet, illud, *Loquentis*, ad tubam refertur,) in hæc verba: *Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri cito.* Tertio, Ascendit eò in spiritu, id est, per visionem imaginariam: viditque sedem in caelo positam, & quendam in ea sedentem, qui referebat colorem lapidis Iaspidis, & Sardij: vbi est aduertendū, non esse sermonem de Iaspide lapide vulgari, sed de Iaspide pretiosa gemma: de qua loquitur Plinius lib. 37. cap. 8. vbi docet Iaspidem esse ex gemmis viridibus, reperi etiam aëri similem, & caruleam circa Thermopontem amnem, purpuream in Phrygia, caruleam ex purpurea in Cappadocia. Et cap. 9. eiusdem libri fusè disputat de Iapidum generibus. Sardius autem est ex gemmis ardentibus, vt idem testatur eodem lib. cap. 7. Quarto, Sedem, siue thronum circumquaque ambiebat pulcherrima Iris, in qua viridis color præ cæteris eminebat: quod significatur cum dicitur, *Similis visioni smaragdina.* Est enim smaragdus viridium gemmarum præstantissima. Quintò, In circuitu sedis erant sedilia viginti quatuor, seu viginti quatuor throni, vt habetur Græcè, in quibus sedebant viginti quatuor seniores, amicti stolis albis, coronas aureas capitibus gestantes. Sextò, de throno illo, quem Iris ambiebat, fulgura, voces ac tonitrua personabant, septemque lampades ante thronum ardebant: *Quæ sunt*, inquit Ioannes, *septem spiritus Dei:* erantque ante thronum tanquam mare vitreum simile crystallo. Septimò, In medio, & in circuitu throni erant quatuor animalia plena oculis, intus, antè, & retrò, & in circuitu. Quorum animalium primum erat simile leoni. Secundum, simile vitulo. Tertium, simile homini. Quartum, simile Aquilæ volanti, habentia singulas alas senas, noctu, & interdum sine intermissione dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui est, & qui erat, & qui venturus est. Octauò, Dum animalia sic in throno sedentem laudarent, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, adorantesque proiciebant coronas suas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem; quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt. Atque hæc de imaginaria visione Ioannis: nunc ad mysteria veniamus.

Plinius.
Iaspide,
gemma pre-
tiosa.

visio,

Visio, in literali sensu explicatur,

Primumque, quid thronus, quis in throno sedens, & cum lapidi
iaspidi, & sardio similis, dicatur.

SECTIO II.

DE V M esse qui in throno Ioanni apparuit, non Christum Dominum, vt ple-
rique non rectè sentiunt, ex eo est perspicuum, quod cap. 5. sequenti, Agnus,
qui Christum representabat, accepit de manu sedentis in throno, librum illum signa-
tum sigillis septem, quem solus ipse Agnus potuit aperire. Quare is, qui in throno
residebat, proculdubio Dei maiestatem referebat, vt bene argumentatur Ioachi-
mus: quam etiam sententiam sequuntur Richardus de S. Victore, & Glossa ordi-
naria. Per thronum plerique Angelos, alij sanctos accipiunt, vt Arethas. Alij Ec-
clesiam, vt Ioachimus, Rupertus, & alij: iuxta quam sententiam eleganter Ruper-
tus obseruauit aperto ostio, sedem positam conspici in celo; quia passo Christo,
& per eum aditu in caelum patefacto, regnum Dei ita dispositum est, vt Deus in il-
lo sedeat, Principe huius mundi foras eiecto: quam ob causam Regius vates Psal.
9. cum dixisset: Dominus regnauit, decorem induit, & induit est Dominus fortitudinem,
& praeiunxit se. Continuo subiunxit: Parata sedes tua ex tunc à secundo tu es: vbi enim
indutus Dominus decorem, & fortitudinem regnauit, id est, virgineam assumens
carnem, & mortem resurgendo vincens, regnum peccati, mortisque destruxit, ex
tunc sedes eius parata est, id est, Ecclesia in caelo posita, confirmatum regnum, &
imperium stabilitum. Verum illa est germanior explicatio, quam Glossa sequitur,
intelligendum esse per thronum auctoritatem, & potestatem Dei, Ecclesiae præ-
sidentis, eamque summo consilio, & prouidentia administrantis, quem admodum
sepe sumitur in sacris literis, veluti Esaiæ 6. Vidi Dominum sedentem super solium ex-
celsum, & eleuatum. Et Ezechiel. 1. super firmamentum quasi aspectus lapidis saphyri si-
milis throni: & super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper.

Cur verò Deus, similis lapidi iaspidi, & sardio apparuerit, multiplex affertur II.
ratio. Prima est Ambrosij Ansberti, qui existimat eum, qui sedet in throno,
Christum representare: ait per iaspidem virentem gemmam indicari diuinitatem
Christi; in cuius nimirum conspectu, & fruitione viror gloriae immarcescibilis
consistit: per sardium autem, qui gemma est rubens, humanitatem exprimi, quæ
passionis tempore, sanguine rubuit, iuxta illud Esaiæ 63. Quare rubrum est indu-
mentum tuum? Verum quia eum qui in throno residet, non Christum, sed Deum
ipsum esse, paulò ante probauimus, hac ratione prætermittam, est secunda Diui
Augustini, seu potius Ticonij, Bedæ, Primasij, & Ruperti, in iaspide, qui aquæ
colorem refert, diluuium aquæ, quod iam præterijt: Per sardium ignei coloris,
diluuium ignis, quod adhuc expectatur, significari. Addit Rupertus, quoniam
inter vtrumque iudicium, per aquam videlicet & ignem diuina misericordia elu-
xit, tributo ad præsentiam tempore, idcirco in circuitu sedis Iridem, quæ signum
est pacis, & clementiæ apparere. Tertia est Richardi de sancto Victore, virorem
iaspidis significare immarcescibilem gloriam: ruborem sardij inferiorem ignem,
atque ad eò Deum vtrumque colorem referre: quia electos virore gloriae demul-
cet, reprobos autem ignis æterni comminatione deterret. Quarta est Ioachimi,
qui Trinitatem in throno illo residentem agnoscens, in iaspide Patris personam
considerat; in sardio Filium, in smaragdo, qui paulò post subiungitur: & in Iride

Qui in throno Ioanni apparuerit.

Ioachimus. Richa. Vict. Per thronum quid aliquis intelligat. Arethas. Rupert. Psalms. 92. 1.

Passo Christo, Ecclesia regnum stabilem est.

Germanior throni explicatio.

Esai. 6. 1. Ezech. 1. 26.

i. Ratio. Ambros. Ansbert.

Cur iaspidi, & sardio similitudo apparuerit Deus. Esai. 63. 2. Secunda. D. August. Ticon. Beda. Primas. Rupertus.

Tertia Rich. Vict. Quarta Ioachim.

Spiritum sanctum. Etenim cum Iaspis sit gemma viridis, in viriditate autem vita arborum, & herbarum posita sit. Rectè, inquit, in Iaspide persona Patris exprimitur, quæ vitæ omni principium est. In sardio autem, qui colorem refert sanguineum Filius indicatur, qui per assumptam humanitatem in passione rubicundus apparuit. Denique smaragdus qui viriditate præcellit, Spiritum sanctum designat, qui per gratiarum suarum dona hominum corda ad spem gloria excitat.

III.

Quinta ratio
mysterio con-
gruentior
Iustus, &
misericors
apparet Chri-
stus, quia
Ecclesia gu-
bernator.

Ezech. 1.

Psalm. 88. 9

D. August.

D. Hieron.

III.

Misericors
non iustus
architectus
Deus.

Esaia 28. 2.

Glossa.

Thren. 3. 33.

D. Hieronym.

Psalm. 76. 9.

Iustitia fa-
bricam ab
impis ere-
ctam sepe
labefecit
Deus.

Plinius.

Iacob. 2. 1.

Quinta ratio, quæ magis videtur mysterio visionis congruere, illa afferri potest: apparuisse Deum simile viridi iaspidi, & rubenti sardio, quia cum hoc loco Deus Ecclesiæ gubernatorem referat, opus fuit duo illa præsidia, quibus perfecta rerum publicarum administratio continetur, misericordiam scilicet, ac iustitiam præ se ferre: rectè enim iaspis propter viridem colorem bonæ spei symbolum, misericordiam: Sardius autem iustitiam propter ardorem exprimit. Sic etiam Ezechiel. 1. ad idem significandum Dominus Prophetæ apparuit superiori parte speciem electri, quod paleas ad se attrahit: ignis autem omnia consumentis in parte inferiori similitudinem ostendens. Atque hæc duo in Deo tanquam mundi Principi agnoscit Regius vates Psalm. 88. cum ait. Quoniam dixisti, in æternum misericordiam adificabitur in caelis, preparabitur veritas tua in eis. Vbi vides tam misericordiam, quam iustitiæ mentionem fieri: quemadmodum exponunt D. August. & D. Hier.

Illud obiter obserua dici misericordiam ædificari à Deo: quali proprium eius opus, appellarique Deum hoc loco non iustitiæ, sed misericordiam architectum, quia misericordiam proprium Dei opus est, iustitia verò quoad vindictam, & animaduersionem, quodammodo alienum & peregrinum quemadmodum disertis verbis docet Esaia, cap. 28. *Ut faciat opus suum, alienum opus eius, ut operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Quem locum Glossa ordinaria sic per interrogationem dispungit: *Trascetur ut facias opus suum: quæ dicat, minime verò est opus suum irasci, & punire, sed alienum & peregrinum, ut statim subiungitur, eodémque modo exponit Interlinealis: alij sine interrogatione, sic in eandem sententiam interpretantur, ut faciat opus suum, id est, ut faciat quod facere instituit, puniendo videlicet Hebræos: alienum est opus eius, id est, non ex animo, sed quodammodo coactus puniet, quod clarius dixit Hieremias, Threnorum 3.*

Non ex corde suo humiliavit, & abiecit filios hominum. Simul etiam advertit D. Hieronymus in eundem locum Psalmi citati, misericordiam semper à Deo ædificari, nec vnquam destrui. Itaque Deus misericordiam fabricam, quam molimur, continuo promouet, nec vnquam ab ea manum amouet: quemadmodum significauit Regius vates, Psalm. 76. illis verbis: *Nunquid misericordiam suam abscondit à generatione in generationem? Vbi obseruandum est verbum illud abscondit, quod indicat, Deum huius misericordiam, quod ab æterno texuit, nunquam præcidisse, sed continuatam beneficiorum suorum seriem absque vlla intermissione continuasse, & continuaturum in posterum, cum tamen iustitiam non solum ipse non ædificet, sed & eius fabricam, quam impij suis sceleribus erigunt sæpenumero pariendo labefacit, quam ob causam eiusmodi ædificiorum iniuria, & preparationes descripsit Regius Prophetæ, cum subiunxit: *preparabitur veritas tua in eis, id est, vel ipsa punitiois fundamenta, quæ impij suis sceleribus iaciunt, per misericordiam destrues, ita ut promotio misericordiam ædificio, vel ipsæ ad puniendum preparationes diruantur.**

V.

Id, quod in nostro sardio licet videre, is enim ut auctor est Plinius lib. 37. cap. 7. oleo hebetatur: sic enim Dei iustitia per misericordiam oleum hebetatur, & vincitur: quemadmodum dicitur Iacob. 2. illis verbis: *Superexaltat autem misericordiam*

cordia iudicium. Græci legunt *ἡγαλαυγία*, id est, exulet aduersus iudicium: quanquam aiunt sumi, pro vincit, exuperat, & obtundit, quia scilicet victores victis insultare solent, & aduersus illos exultare: quare sensus apud Græcos ille est. Si misericordia cum iudicio contenderet, victricem futuram misericordiam, quia *misericordia Domini super omnia opera eius*. Ad eundem ferè modum dixit Paulus ad Coloss. 3. *Et pax Christi exulet in cordibus vestris*: hoc est, ut pax in iudicium victoris, ac triumphantis dicatur exultare: Græcè est *ἡγαλαυγία*, quod quidam ex Græcis sic interpretantur, id est, *In certamine: iudicis fungatur officio*. Alij *brauium ferat*, videlicet aduersus liuorem, & contentionem, imò & aduersus mundi pacem, quæ paci Christi contraria est: cui contrarium est *ἡγαλαυγία*, quo vsus est Apostolus ad Coloss. 2. *Nemo vos seducat*: nam pro *seducat*, est Græcè *ἡγαλαυγία*, hoc est, nemo vos fraudet in brauium, & præmio: cum enim aliquis in certamen descendens, per agonothetæ iniustitiam, brauium & debitam sibi victoriæ palmam amittit, dicitur *ἡγαλαυγία*, hoc est, fraudari brauium, & præmio sibi debito.

*Iustitia Dei
victrix misericordiam.*

*Ad Coloss.
3. 15.*

Coloss. 2. 18.

Sed vt ad priorem locum reuertamur, alij *ἡγαλαυγία*, sic interpretantur, id est præmijs loco detur. Habet enim *ἡγαλαυγία* multiplicem vim: Theodoretus secundam expositionem sequitur. *Pax Christi ἡγαλαυγία*, in cordibus vestris, hoc est, inquit, si quis ab aliquo molestiam acceperit, habeat in corde pacem. *Agonotheta officio fungentem, & Regentem*. Theophylactus eandem, & tertiam tradit. *Sax*, inquit, *Dei palmam ferat in cordibus vestris*: se numero, inquit, iniuria sumus à quopiam affecti, & gemimam ferat in cordibus vestris: altera ad vindictam, ad longanimitatem altera nos incitant: quando vincta apud nos cogitationes certant: altera ad vindictam, ad longanimitatem altera nos incitant: quando vincta si enim pax Dei in vobis steterit, vt insui quispiam *Brabeuta*, id est, iudex certaminisque arbiter, dederitque victoriæ palmam, qui iusserit vt sis longanimis, cessabit aduersarius tuus: ipsa igitur pax Dei palmam ferat, non ira, non contentio, non humana pax, ea enim ex ultione nascitur, sed Dei. Hæc Theophylactus. Vbi cernis eum duas expositiones, hoc est, secundam, ac tertiam complecti. Nos omnes eas, quas recensuimus, probamus, sed interim primam nostram, quam attulimus vt potè cum nostra vulgata editione consentientem, nec à verbi ipsius Græci proprietate abhorrentem eo apposuimus, vt testimonium Iacobi citatum illustraremus. Cùm igitur in Deo, tanquam in Ecclesie Principe, duæ illæ partes præcipuæ, misericordia, & iustitia, in duplici hoc lapide expressæ, mirificè eluceant, maximum tamen inter eas discrimen cernitur, eum de misericordia, dixerit Regius vates, *adificabitur*: de iustitia, *preparabitur*.

*VI.
Theodor.*

*Pax Christi,
mundi pacem
incitant: quando vincta*

*Discrimen
inter Dei misericordiam
& iustitiam.*

Quid sit, *Iris* in circuitu sedis similis visioni smaragdina.

SECTIO III.

I Oachimus primùm existimat per *iridem*, Spiritus sancti significare personam, I. sicuti paulò ante in iaspide Patrem, in sardio Filium intellexit. Rationem similitudinis eam affert, quia sicut iris triplicem colorè refert, viridem, exruleum, & rubicundum: ita Spiritus sanctus primùm homini confert gratiam, vt erodat: deinde vt operari valeat: postremò vt charitate sit perfectus: Quam ob causam ait Spiritum sanctum, primùm in specie columbæ: deinde per insufflationem: denique in igni fuisse concessum. Quòd verò *iris* in circuitu sedis sit, illud significat, Ecclesiam vnde quaque Spiritus sancti præsidio muniti, iuxta illud Psal. 124. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui*.

*Spiritus sanctus
iride, coloratur, ex
Ioaichimo.*

*Spiritus sanctus
presidio
munitur Ecclesia.
Psal. 124. 2.*

Secundò, Richardus de sancto Victore in *iride*, eum speciem arcus habeat, II. atque adeo belli signum præferat, putat significari iudicium: esse autem in circuitu sedis, quia tam à dextris quam à sinistris vniuersos iudicis complectetur

Rich. Vict.

sententia, quia verò smaragdus partim viret, partim rubet, illud demonstrat, iustos introducendos esse ad palatia virentis gloriæ, malos autem sempiternis ignibus addicendos.

Tertiò, Beda per *Iridem* sanctos intelligit, qui in circuitu throni sunt, quia Ecclesiam vndique sua intercessione defendunt. Est enim Iris pacis symbolum, quæ propterea similis smaragdo dicitur: quia sancti quod magis viriditatem futuræ gloriæ expectant, et magis ad cæteros protegendos animantur.

Bedæ.
Sanctorum intercessio tuetur Ecclesiã

III.
Ansbertus.
Verbi incarnationis iridis similitudo.

Sap. 7. 16.
Esai. 19. 1.

Humanitas Christi nubes.

D. Ansb. Euseb. C. 5. 11. 34.

D. Chrysost. Cyrill. Alex.

Procop. B. Virgo, nubes.

D. Ambros. D. Hieron.

III.
Ecl. 43. 11.

Christus arcus celestis.

1. Cor. 15. 47.

Cant. 5. 10.

Cant. 2. 5.

Sigilla à Christum esse, qua.

Dei misericordia cur irida comparatur.

Arma nostra Dei misericordia.

Gen. 48. 22.

Paraphrast. Chald.

Quartò, Plerique, per *Iridem*, Verbi incarnationem intelligunt, quæ visioni smaragdina similis dicitur: quia incarnatione potissimum Dei misericordia elucet, & spes omnis nostra posita est. Rationem similitudinis eam affert Ansbertus: quia quemadmodum arcus cælestis diuini fœderis pignus, tunc apparet cum radijs solis vmbriфера fuerit nubes illustrata: ita cum Patris Verbum, quod candor est lucis æternæ. Sapientia 7. & Sol iustitiæ, humanam suscipiendo naturam irradiavit, ipsa humanitatis susceptio, reconciliatio facta est mundi, quod disertis verbis cecinit Esaias cap. 19. cum dixit: *Ecce Dominus ascendit super nubem leuem.* Quo loco per *nubem*, humanitatem intellexerunt Diuus Augustinus tractat. 1134. in Ioannem. Eusebius Casariensis libro primo demonstrationis Evangelicæ capit. 4. & libro 8. capit. 5. & libro 9. cap. 2. D. Chrysostomus homilia 2. ex varijs in Matth. Cyrillus Alexandrinus, & Procopius in commentarijs super Esaiam. Quamuis etiam Beatam Virginem interpretentur, in quibus est D. Ambrosius in exhortatione ad virgines, & in Institutione virginis. Vtramque verò expositionem affert D. Hieronymus in eundem locum Esaiæ.

In hanc sententiam plerique interpretantur illud Ecclesiastici 43. *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum, valde speciosus est in splendore suo, Vbi Christum per arcum intelligunt, cuius arcus duo cornua, dæ sunt naturæ, chorda verò earum vnio, sunt autem eiusmodi cornua ad terram conuersa quemadmodum & in Iride, in signum pacis, & fœderis cum hominibus: quemadmodum etiam Iris triplicem colorem habet, cœruleum, viridem, & rubeum: ita Christus fuit cœruleus, quia cælestis, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 15. *secundus homo de cælo cælestis.* Viridis, per innocentiam vitæ, & gratiarum affluentiam. Rubicundus in passione. Cant. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Denique sagitta ab hoc arcu emissa non aliæ quam amoris fuerunt, à quibus nimirum se vulnerata letabatur sponsa Cant. 2. cum dicebat: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Pro quo Septuaginta transtulerunt, *quia vulnerata amore ego sum.* Hunc ergo arcum rubeum respicere per imitationem: & Deum Patrem benedicere, quia illum mundo cœcessit.*

Maximè omnium literalis expositio ea nobis videtur significari per *Iridem* diuinam misericordiam: cum Iris fœderis, & clementiæ symbolum sit, quæ vndique Dei thronus ambitur, quia vbiq; & omnibus eam præstat. Ratio verò huius similitudinis duplex potissimum afferri potest. Vna, quia sicut Iris variorum colorum, eorumque pulcherrimorum speciem refert: ita Dei misericordia multiplex est, eaque pulcherrima. Cæruleum colorem licet agnoscere in fide, quæ tota cælestis est, in spe, viridem, in charitate, rubicundum, in intermedijs, in reliquis domis gratiarum, quæ Deus iustis liberaliter impertit. *Altera, Quia sicut Iris gerit speciem arcus aduersus cælum inteti, ita arcus noster, & arma ad Deum pro merendam, & quodam modo vincendum, cælumque ipsum expugnandum vna Dei misericordia continentur. Sic enisi eam appellauit Iacob Gen. 48. cum dixit ad Ioseph filium: *Do tibi partem vnã extra fratres tuos, quã tu de manu Amorrhæi, in gladio, & arcu meo. Vbi per gladium, & arcum, Paraphrastes Chaldaicus**

cum locū ita transfudit, Quam tūc de manu Amorrhai oratione mea, & deprecatione mea, proculdubio misericordiam diuinā intellexit, per quam Deus orationem Iacob exaudiuit: quippe cum nostrā deprecationes Dei misericordia innotantur.

Atque hunc arcum Dauid in calum intendit Psal. 50. cum dixit: Misere mei VI.

Deus secundum magnam misericordiam tuam, &c. Quam eandem ob causam, visioni Psal. 50 3.

smaragdinae similis dicitur, id est, viridi colore praeitare: quia nota nostra spes, cuius smaragdus, propter viriditatem, est symbolum, in Dei misericordia posita est,

iuxta illud Psal. 12. Qui tribulant me exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speravi. Et Psal. 41. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei steteram in misericordia

Dei in aeternum. Vbi aduerte comparare se Dauidem oliuae, cum de spe sua in misericordia Dei disserit, quia sicut oliua semper viret, ita qui in Dei misericordia

confidit, quae smaragdo viridissima gemma comparatur, spem habet florentissimam, & semper virentem: vnde alio in loco ait. Qui confidunt in Domino, sicut mons

Sion, non commouebuntur in aeternum, qui habitant in Hierusalem. Psal. 124. Quod iuxta

Hebraicam veritatem, sic est intelligendum: qui spem suam in Deo collocat: sicut

mons Sion, qui in Hierusalem fixum habet locum, nunquam loco mouebitur, ita

ipse nunquam deicietur. Quamuis alij cum D. Augustino duplicem sic distinguant sententiam: Qui confidunt in Domino, erunt sicut mons Sion, & non commouebuntur

in aeternum quisquis habitat in Hierusalem. Verum prior distinctio Hebraeo textui est congruentior, quam propterea sequutus D. Hieronymus sic locum transfudit ex Hebraeo: Qui confidunt in Domino, quasi mons Sion immobilis, & in aeternum habitabilis.

Accedit quod quemadmodum viridis color, ut ait Glossa, mirum in modum aspectum recreat, & roborat: ita nihil est, quod magis mortalium animos consoletur, quam Dei misericordia. Vides igitur Dei sedem vndique misericordiae symbolo non solum ambiri, sed etiam exornari: quemadmodum & apud Ezechielem cap. 1. n. ibidem illam ignibus inuolutam, quae diuinam significabat iustitiam, splendor quidam fulgentissimus per circuitum ambiebat, ac pulchram reddebat: qui splendor solum erat diuinae misericordiae, atque clementiae.

Quinam sint vigintiquatuor seniores in totidem thronis sedentes.

In circuitu sedis sedilia vigintiquatuor, & super thronos vigintiquatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronae aureae.

SECTIO III.

Vidit Ioannes in circuitu throni vigintiquatuor sedilia, seu thronos, ut habetur Graece. & in his sedentes vigintiquatuor seniores. Per eos D. August. seu Ticonius, Beda, & Primasius vniuersam Ecclesiam intelligunt, iuxta illud Elai. 24. Erubescet luna, & confundetur sol, cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Hierusalem in conspectu, & in aeternum suorum fuerit glorificatus. In duodecim, inquit Augustinus, Apostolos, & praepositos, & in alijs duodecim reliquam Ecclesiam intellige. Primasius eam. Hec huius numeri rationem posuit nimirum, esse vigintiquatuor pro Ecclesia vniuersa, quasi duodecim tribus duplicarentur propter geminum testamentum: Nam quia, inquit, in veteri testamento duodecim tribus fuerunt, & in nouo duodecim Apostoli Ecclesia fundatores, recte numerus vigintiquatuor sanctorum vniuersam Ecclesiam significat, D. Gregorius in libro 1. Reg. cap. 9. locum hunc expendens concionatores interpretatur. Seniores, inquit, sancti sunt predicatores maturi sensu, moribus graues, qui thronum Dei iuxta positus sedibus ambiunt: quia qui

I.
D. August.
Ticon.
Beda.
Primasius.
Elai. 24 23.
Per viginti
quatuor se-
niores, uni-
uersa dis-
tinguitur Ec-
clesia.
D. Gregor.



præ ceteris conditores diligunt, per altissimam conuersationem ei viciniorum requiescunt.

Glossa.
Rich. Vici.
Rupertus
Pannon.
Ioachimus.

II.

Communis tamen expositio, quam sequuntur Glossa, Richardus de S. Victore, Rupertus, Pannonius, Ioachimus: & alij, est. Per viginti quatuor seniores intelligendos esse præstantissimos quosque sanctos, ac præcipue prælatos, & Doctores vtriusque testamenti, qui numerus ex duodecim Patriarchis, & ex duodecim Apostolis conficitur, cum enim numerus duodenarius dicat vniuersitatem, in duodecim Patriarchis præstantissimi quique sancti veteris Testamenti, & in 12. Apostolis excellentes viri Testamenti noui, optimo iure accipiuntur: qui seniores, tum propter antiquitatem, tum propter morum, doctrinamque gratuitatem appellantur quam eandem ob causam in thronis sedent: quia in fine mundi iudicabunt.

III.

Per Christi
ascensionem
patuit aditus
in celum.
Ezech. 40.
Hugo Carr.
Dion. Carr.

Primo est obseruandum Sedilia, siue thronos in celo post Christi Domini in celum ascensum apparuisse, quia tunc primum patuit sanctis in gloriam aditus, eisque sedilia ad sedendum concessa sunt, in cuius rei typum, & significationem, cum intra Sancta sanctorum, siue tabernaculi Mosaiici, siue templi Salomonis, nulla essent sedilia, nihilominus intra Sancta sanctorum eius templi, quod describit Ezech. à cap. 40. multa sedilia sunt visa. Sic enim latera illa sexaginta sex per circuitum, quorum sit mentio cap. 41. interpretantur Hugo Cardinalis, Dionysius Carthus. & alij. E quibus quadraginta ponunt in ea parte templi, quæ appellatur Sancta: reliqua 29. in ea quæ Sancta sanctorum dicitur. De cuius sententiæ probabilitate superioribus annis dum Ezechielem interpretaremur, fusè differuimus.

III.

Hebr. 9.

Cur sancta
sanctorum Sa-
lomonis sedi-
bus vacua,
Ezech. verò
templi sancta
visa cum se-
ditibus.

Illud modò dumtaxat ex Hugonis, & Dionysij expositione colligimus, in Sanctis sanctorum templi Salomonis nulla fuisse sedilia, quia vacua omnino fuissent, eum ed solus Pontifex semel in anno ingrederetur, vt ait Paulus ad Hebræos 9. Quo simul etiam significabatur nemini eo tempore ad gloriam aditum patuisse, eamque ob causam superuacua esse fuisse sedilia. At verò, quia post passionem Christi liber pater aditus ad Sancta sanctorum caelestia, idcirco in Sanctis sanctorum eius templi, quod in Ecclesiæ typum à Christo fundata, fuit Ezechie-li ostensum, oportuisse, vt multa sedilia ponerentur, in quibus sederent ij, quibus salus contingeret: atque in ijs excellent hæc viginti quatuor sedilia, siue throni, in quibus viginti quatuor seniores, id est, Prælati, Doctores & præstantissimi quique vtriusque Testamenti heroës, tanquam reliquorum parentes, fundatores, ac iudices, sublimioris gloriæ & honoris prærogatiua eminent.

V.

Quanto honore post
Incarnationem
Angelis homines
antecellant.
Esa. 6. 1.
Dan 7. 10.
Tob. 12. 15.

Secundò aduertendum est, nusquam in sacris literis, Angelos sedentes in celo apparuisse, sed Deum, & homines, vt ex eo exploratum sit quanto honore post Verbi incarnationem homines Angelis antecellant, siquidem homines in thronis confidentes: Angeli verò perpetuo, vel stantes, vel ministrantes apparent, vt est perspicuum ex cap. 6. Esaie, vbi ita legimus: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elatum, & ea quæ sub ipsis erant replebant templum, seraphim stabant subter illud.* Et apud Daniel cap. 7. *Millia millium ministrabant, & decies centena millium assistebant ei.* Et Tobie 12. *Ego sum Raphael Angelus, vnus ex septem qui assistunt ante Dominum.* Vnde iam colliges cum D. Barnardo sermone 2. de tribus testimonijs, & sermone de sancto Benedicto Abbate, quanta fuerit Luciferi elatio, qui vniuersis Angelis stantibus, ipse solus sedere præsumpserit, cum dixit Esaie 14. *super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: Siccine, inquit Bernardus, vbi stant omnes, vniuersi ministrant, tu pacu inimice sedobis? quid labo?* D. Bernard. *quis vti iam sedeat?* E contrario ad Apostolos dixit Christus Matth. 19. *sedebitis vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Et de Ecclesia vniuersa dixit Paul. ad Eph. 2. *Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam,*

quæ

qua dilexit nos, communiſicavit nos in Chriſto, (cuius gratia eſt ſalvaſti) & confeſſus eſt, & conſiderare fecit in caeleſtibus in Chriſto Ieſu. Ex quo mirum in modum reſplendet Dei in homines amor, & beneficentia, qui propter Chriſtum ad tam ſublimem eos honoris gradum euexit, ut in nobiliſſima illa curia, tot principibus, id eſt, Angelis ſtantibus, & miniſtrantibus coram Deo in diuinitatis ſuæ throno ſedente, ipſi quoque in thronis pulcherrimis glorioſi conſideant.

Amor Dei in homines.

Tertio, apparuerunt eidem vigintiquatuor ſeniores circumamicti veſtimentis albis, quæ gloſſa interpretatur virtutes, quibus ſancti & teguntur, & albet. Richardus de S. Victore, mundiciam caſtitaſ, & boni operis. Pannonius, caſtitaſ, & ſapientiaſ. Dionyſius Carthuſianus, caſtitaſ. Rupertus æternam iocunditaſ. Alij, gloriaſ corporis. Nobis tamen, verò ſimilius videtur, aut virtutum ornameta: aut gloriaſ animæ accipiendam eſſe. Cum enim hæc apparitio, Eccleſiæ ſtatim ante illam generalem reſurrexionem reſpreſentet, & per vigintiquatuor ſeniores excellentium ſanctorum multitudo, qui in utroque teſtamento, ſanctitate, doctriſna, & gubernandi prudentia floruerunt, intelligatur, quorum pauci cum Chriſto in corporibus glorioſis in cælum aſcenderunt, non pollumus per veſtimenta alba gloriaſ corporis, ſed aut virtutum pulcherrima ornameta, aut certè gloriaſ animæ intelligere. Atque eandem gloriaſ exprimunt coronaſ aureaſ, quæ in ſingulorum capitibus apparuerunt: cur verò gloriaſ coronaſ ſimilis dicatur, uſe ſuperius explicauimus: ſignificant etiam Regiam poteſtateſ, verè enim beati ſunt Reges, de qua re, quia iam ſuo loco diximus, non eſt cur eadem replicamus.

VI. Gloſſa. Rich. Viſt. Pannon. Dion. Cart. Rupert. Per veſtimenta alba quid accipiendum.

Beati verè reges.

Quænam ſint fulgura illa, voces, ac tonitrua, quæ de throno procedere viſa ſunt.

Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua.

SECTIO. V.

Hæc omnia ad ſtatum præſentis Eccleſiæ pertinent. Per fulgura, communis expoſitio, (quæ etiam eſt Diui Auguſtini, ſeu Ticonij, Ruperti, Richardi de ſancto Victore) miracula intelligit, quæ Deus per ſeniores illos, ad mundi conuerſionem edidit, & nunc etiam edit, edetque uſque ad finem mundi. Per voces, ac tonitrua, Diuini verbi prædicacionem, eo tamen diſcrimine, quòd voces exprimit temperatas admonitiones mediocriter auribus inſonantes. Tonitrua verò terrificas de futuro iudicio, pœniſque impiorum comminationes. Præterea etiam ſublimis de Chriſti diuinitate, diuiniſque etiam perfectionibus, ac ſecretioribus ſi dei arcanaſ concionas: quem admodum exponit Pannonius. Rupertus aduertit, quia ſancti, non à ſeipſis, id eſt, à propria poteſtate: ſed ex virtute diuina edunt miracula: id eſt, de fulgura, non à ſedibus ſeniorum, ſed de throno Dei procedere, cuius ſolius eſt vera patrare miracula.

I. D. Auguſt. Ticon. Rupert. Rich. Viſt.

Pannon. Rupert. Ex virtute diuina ſancti edunt miracula.

Atque hinc primum habes concionatoreſ Euangelicorum pro ratione loci, temporis, atque auditorum, accommodatè debere concionem: ſiquidem uti diximus, voces hoc loco tum temperatas admonitiones, tum faciliores ad intelligendum, de moraliſque rebus tractationes: tonitrua verò tum terrificas comminationes, tum altiorem de ſublimibus rebus ſermonem ſignificant: quos omnes dicendi modos uſurpare debet concionator Euangelicus: accommodatè ad auditorum conditionem de diuinis rebus diſputans, quam concionandi formam ſeruabat Apoſtolus ut ipſemet teſtatur 2. Cor. 5. cum ait: Siue enim mente excedimus Deo, ſiue ſobrii ſumus vobis: hoc eſt, ſi altiora & ſublimiora prædicamus, id ad explicandam Dei naturam, commendandamque eius gloriaſ, præſtamus: ſi autem

II. Quam concionandi formam ſe uare debeat concionator Euangelicus. 2. Cor. 5. 4.



mediocritia loquimur, id velti causa facimus, vt nos vestro captui, capacitati que accōmodemus: habemus etiam huius rei illustre exemplum in Ioanne Apostolo, qui singulos pro suo captu, & conditione admonebat, vt est perspicuum ex illis verbis primæ eius epistolæ, cap. 22. *Scribo vobis filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius. Scribo vobis patres, quoniam cognouistis eum, qui ab initio est. Scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum. Scribo vobis infantes, quoniam cognouistis patrem. Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum.* Vnde si aduertis, Ioannes accommodatē ad ætates, & conditiones loquitur. Tres enim ætates connumerat, puerorum, iuuenum, senum: & vnicuique quod congruum est, tribuit. Nam quia pueri per ignorantiam, & inscientiam labuntur, ait quod illis, peccata remittuntur, quoniam peccatum ex ignorantia, quod proprium puerorum est, maior: in aliquem excusationem continet: & quia iidem pueri interdum per ætatem parentes non agnoscunt, ideo iis quodammodo blanditur, laudans quod Patrem caelestem cognoscant. Senum illud est proprium, quod prisca & antiqua in ore habeant: cum igitur Patre æterno nihil sit antiquius, cum sit æternus, idcirco eis laudi tribuit, quod nouerint patrem illum, qui ab initio est, hoc est ex æternitate. Denique quia adolescentes & iuuenes valent robore, ac de virium magnitudine, corporisque firmitate gloriari solent, iactare que se, quod victorias consequantur, proferre illos gaudere iubet quod malignum, id est, dæmonem superarint.

III
Rich. Vich.
Mat. 24. 27.
Per fulgura
cur significetur
miracula.
Abac. 3. 11.
D. Hieron.
Miracula ar
morum Dei
coruscatio, ex
D. Greg.

Illud deinde notandum est, pulchrè per fulgura significari miracula, cuius similitudinis ratio multiplex est. Prima, quia, vt ait Richardus de S. Victore, sicut fulgura longè clarè que coruscant, iuxta illud Mat. 24. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem: sic miraculorum splendor, & fulgor latè multorum cōmemorations funditur, plurimò que vel ad fidem conuertit, vel iam conuersos in fide confirmat: atque idcirco miracula, splendor & coruscatio armorum Dei appellantur* Abacuch cap. 3. vbi pro eo, quod ex Hebræo transtulit Hieronymus. *In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulguratis haste tue.* Septuaginta reddiderunt, *in lumine iacula tua ibunt, in splendore seu coruscatione fulgoris armorum tuorum.* Quem locum in hanc sententiam expendit D. Gregorius lib. 30. Moralium, cap. 3. *Fulgur, inquit, armorum est claritas miraculorum, armis nos tuemur, iaculis aduersa destruiamus, arma ergo cum iaculis sunt: miracula cum prædicatione. Etenim sancti verbi prædicationis, quasi iaculis aduersarios feriunt, miraculis vero quasi armis se tuentur, vt quantum sint audiendi, sonent per impetum iaculorum, & quantum sint reuerendi, clarificent per arma miraculorum.*

III.
Miracula
sancti vt
nubibus ful
gura egre
diantur.
Esa. 5. 6.
D. August.
Psal. 96. 4.
D. Gregor.
Iob. 38. 35.

Secunda, Quia sicut fulgura è nubibus egrediuntur, ita è sanctis prædicatoribus miracula, atque a deo cum miracula appellantur fulgura, tacitè innuitur sanctos esse veluti nubes, quo nomine censentur Esaiæ. 5. *Mandabo nubibus meis, ne pluane super eos imbrem, & cap. 6. Qui sunt isti qui vt nubes volant? In hunc sensum* D. Augustinus accepit locum illum Psalm. 96. *Alluxerunt fulgura eius tibi terra, vidit, & commota est terra. Misit, inquit, Dominus Apostolos, prædicatores, & sanctos veluti nubes, videbantur homines, & contemnebantur: quem admodum nubes videntur, & contemuntur, antequam de eis exiliat, quod mireris: erant illi quidem homines infirmi, carnem portantes, sed erat in illis quod fulguraret, erat quod coruscaret: accedebat Petrus homo piscator, orabat: & surgebat mortuus, forma humana nubes erat, splendor miraculi coruscatio erat, rectè autem adiungit: *Vidit, & commota est terra, quia tota terra commota est fulgoribus de illis nubibus erumpentibus.* Eodem sensu D. Gregorius lib. 30. Moralium cap. 3. exponit illud Job. 38. *Nunquid mittes fulgura & ibunt, & reuertentia dicent tibi, adsumus. Fulgura, inquit, ex nubibus exeunt, cum mira opera ex sanctis prædica-**

predicatoribus ostenduntur, qui idcirco nubes vocari solent, quia & coruscant miracula, & verbu pluuunt: & quia humana corda istis miraculorum fulgoribus conturbantur, dicitur Psal. 17. 15. Fulgura multiplicauit, & concurbanis eos.

Tertia, Quia sicut fulgurum coruscationem pluuia consequitur, ita miraculorum splendorem consequitur penitentia, conuersio, & lachryma peccatorum antea vite, errores, & ex citate lamentantium: utrunque significauit vnum quid in literali sensu, alterum in mytico Regius vates eum dixit Psal. 134. Fulgura in pluuia fecit. In que locum (vt hoc obiter dicamus) eleganter annotauit ad litera D. Augustinus, voluisse Deum, vt post fulgura pluuia sequeretur: quia fulgura sine pluuia terrent, & nihil utilitatis afferrent mortalibus, itaque voluisse vt post fulgurum terrorem, refectio pluuia sequeretur: sic enim ille omnes suas comminationes in bonum tandem nostrum, & utilitatem conuertit, iuxta illud Tobia 3. Post tempestatem tranquillum facit. Nec minus elegans est D. Hieronymus in eum locum obseruatio, quam reperies in eius commentarijs super tertium caput Marci, fulgura in pluuia fecit, vt extinguat misericordia, quod indicium inuit.

Quarta, Cum fulgura in sacris literis nonnunquam pro fulminibus vsurpentur, (nec enim dubitandum est, fulmina fuisse illa, quibus Deus Aegyptios oppressit, quae tamen Exod. 9. 22. Reg. 22. & Psal. 17. fulgura nuncupantur.) Illud etiam ad miraculorum vim explicandam pertinet, quod sicut fulmina in agro exterius manente corpore, vniuersa ossa comminuit & loculis integris pecunia conflant & manente vagina enses liquefaciunt, ita Deus per miraculorum suorum fulmina infideles, & peccatores sic interdum afficit, vt cum exterius similes alijs remaneant, in carne videlicet ambulantes, non tamen secundum carnem militent, vt dixit Paul. 2. ad Corinth. 10. sed omnem cordis duritiem intrinsecus amittant, & diuino amore liquefacti in Deum ferantur. Denique diuitijs, ac secularibus honoribus contemptis, se Deo deuoueant, ita vt a caelesti aliquo fulmine percussi videantur, quod in suis laboribus: qui etiam instar fulminum sunt, videtur Dauid agnouisse, cum dixit Psal. 41. Dum confringuntur ossa mea exprobrauerunt mihi, qui tribulant me inimici mei.

Secundo, Notandum est recte etiam per tonitrua sublimes, ac terrificas conuersiones significari, tum propter admirationem, quam altissima fidei mysteria auditorum mentibus iniiciunt; tum propter terrorem, quem ex poenatum inferni commemoratione peccatoribus incutiunt: quibus potissimum de causis filij Zebedaei, Iacobus videlicet, & Ioannes appellati sunt a Christo, Boanerges, id est, filij tonitruui, Marci 3. quod Hebraea phrasi idem est, quod tonitrua: sicut filius iniquitatis pro filio iniquo, & filius perditionis pro perditio filio ponitur. Ratio vero est, quia altissima fidei mysteria, & formidanda malis praeparata iudicia admirabili, ac terrifico concionis roboatu tonuerunt: praecipue vero Ioannes qui mox Euangelij sui initio altissimè intonuit, dicens: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, &c. Accedit, quod tonante caelo ceruae pariunt, cum enim difficillimi sint partus, vt habes Iob 34. audito tonitru pra timore pariunt: quod ad literam significauit Regius vates Psal. 28. cum dixit: Vox Domini praeparantis cernos: vbi cernos legendum videtur ex textu Hebraeo: qui habet צלצלים, quae terminatio manifestè sermonea est. Si enim cernos legendum esset, oportuisset dicere צלצלים, Graecum autem ελαφος vtrumque significat, quate alij cum Diuo Hieronymo ex Hebraeo transferunt, Vox Domini obstetricans, seu parturire faciens ceruas, vbi per vocem Domini tonitruum intelligitur, sic igitur etiam peccatores, qui ceruis propter terrorem comparantur, ob id vocentur.

V.
Miracula, conuersionis, & lachrymae consequuntur.
Psal. 134. 7.
D. August. In bonum suum comminationes suas conuertit Deus.
Tob. 3. 22.
D. Hieron. VI.

Exod. 9.
2. Reg. 6. 22.
Psal. 17.

2. Cor. 10.

Psal. 41. 21.

VII.
Iacobus, & Ioannes dicitur Boanerges a Christo dicitur.
Marc. 3.
Ioan. 7.
Iob. 34.

Psal. 28.
D. Hieron.

Peccatores ceruis similes ob id vocentur.



Prou. 18. 1.

Isai 26. 8.

D. August.

Psal. 47. 7.

D. Ambr.

Diuinarum

communitate

num vis ad

conuertendos

peccatores.

Exod. 14. 24.

Psal. 76. 17.

iuxta illud Prou. 18. *Fugit impius nemine persequente*, qui etiam difficilem, ceruarum instar spirituales conuersionis fortum emittunt, audita terrificam quadam de iudicio, & inferni cruciatibus, concione, quasi tonitruo audito pariunt, & conuertuntur. Quemadmodum ipsi consentitur *Isai 26. A facie tua Domine conceptimus, & quasi parturimus, & peperimus spiritum salutis*: quanquam enim in Hebræo illud *A facie tua*, ad præcedentem sententiam pertineat, tamen Septuaginta ad sequentem retulerunt, sic locum transferentes propter timorem Domini in utero accepimus, &c. Eodemque modo legit D. Augustinus in Psalmum 47. super illa verba, *Idolores ut parturientis*. Et D. Ambrosius libro 2. De interpellatione Iob capite 4. Hanc etiam peccatorum conuersionem, quæ per miraculorum, & magnorum auxiliorum vim perficitur, habet typicè expressam in subuersione curruum Pharaonis, de qua est sermo *Exod. 14. Respicies Dominus super castra, Ægyptiorum, subuertit rotas curruum*: eam enim rotarum & curruum subuersionem simul tonante celo cõtinuisse docuit Regius uates *Psal. 76. cū dixit: Viderunt te aqua Deus, & timuerunt, & turbata sunt abyssus, multitudo sonitus aquarum, uocem dederunt nubes. Etenim sequita tua transeunt, uox tonitruus tui in rota. Vbi rota pro rotis, id est, curribus posita est: sic etiam ad terrificum diuinarum comminationum tonitrum rotæ curruum dissipantur. Id est impiorum fastus & superbi destruitur: & in humilem ad suauem Euangelij iugum subiectionem commutatur.*

Quid sint septem lampades ardeptes ante thronum.

Et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.

SECTIO VI.

I. Quid per septem lampades, quæ ante thronum Dei ardebant, intelligendum sit, Ioannes ipse explicauit, cum dixit: *Et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei*. Per hos autem septem spiritus, quidam uniuersitatem Angelorum, plures septem spiritus sancti dona accipiunt. Verum cum nos iam primo capite dixerimus, per septem hosce spiritus, intelligendos esse septem præcipuos Angelos rebus humanis præfidentes, sicuti intellexerunt Irenæus, & Clemens Alexandrinus, quos hoc loco citat Arethas, illud dumtaxat explicandum superest, cur lampadibus ante thronum Dei ardentibus comparentur. Illa igitur est ratio potissima. Quia nimirum septem isti Angeli fideles in fidei caligine, vitæ que huius tenebris versantes, per inferiores Angelos, & interdum etiam per seipos, tanquam splendidissimæ lampades illuminant: quam eandem ob causam astra matutina appellantur *Iob 38. Videras, cum melaudarent simul astra matutina?* Quo loco Patres per astra matutina, Angelos accipiunt, veluti D. Gregorius,

Iren. Clem.

Alex. Areth.

Septem præ-

cipuos Angeli

cur lampades

dicantur.

Iob 38. 7.

D. Greg.

D. Hieron.

II.

Zachar. 4.

D. Hieronymus in commentarijs eius loci. Sunt autem hæ lampades continuo ante thronum Dei, id est, omnibus expositæ, ut ex illis quicunq; uoluerint, lumen sibi mutuari possint, vnde ad idem significandum, diuersa tamè similitudine, & candelabro illo aureo apud Zachariam, capite 4. septem lucernis constante quod Ecclesiã representabat, septem spiritus sancti donis illustratam, ex duobus rostris aureis, id est, quibusdã ueluti clauis dependebant septem infusoria, id est septem uasa, in quibus seruabatur oleum, quod in lucernas mitteretur, quemadmodum pleriq; interpretantur, de qua tamè interpretatione in nostris super Zachariã cõmentarijs, quid sentiendũ sit docemus. Quæ infusoria Arias Montanus in cõmentarijs super Zachariam interpretatur caelestes

Arias Mont.

stes spiritus ad diuina beneficia Ecclesie ministranda, deputatos, iuxta illud ad Hebr. 1. *Omnes sunt ad ministrandum spiritus in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* Cernis igitur Angelos, non solum lampades esse, quae luceant, sed etiam vasa aurea diuinitatum beneficiorum, & gratiarum plenissima: quas cupiunt fidelium mentibus tanquam lucernis infundere: recte enim omnia diuina beneficia olei nomine intelliguntur, cum ex Dei misericordia proficiantur. Merito etiam haec lampades ardere visa sunt, quia Angeli quantum est ex se, quos illuminant, accendunt, & Dei amore inflammant. Vnde & in sacris literis libiginea potissimum specie describuntur, quemadmodum tradit Dionysius Areopagitanus sua caelesti Hierarchia cap. 25.

Quod si in gratiam communis opinionis velis per septem hos spiritus septem spiritus sancti dona intelligere, recte illa etiam lampadibus comparantur, cum iustorum mentes illustrentur, beneficio Christi Domini, ex quo veluti flores pulcherrimi donorum fructus pullularunt, idcirco enim Esaias, cum de donorum spiritus sancti germinatione ex Christo locutus est, florem Christum appellauit. Sic enim ait capite 4. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice eius ceciderit, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiae, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* quia nimirum ex Christo tanquam ex flore septem haec dona, non solum veluti odores suauissimi, sed etiam ut fructus pulcherrimi orta sunt, & vniuersam Ecclesiam impleuerunt. Ardentes autem haec lampades visa sunt, quia spiritus sancti dona semper charitatem comitantur, atque adeo continuo ardent: sunt enim haec dona, quemadmodum & virtutes morales infusa, veluti pedissequae charitatis, quae eam quasi Reginam semper prosequuntur.

Sed cur ante thronum, inquires, ardent? quia ut ait Glossa, dona spiritus sancti semper parata sunt dante disponentibus, quare septem haec lampades semper ante Dei thronum ardentes, significant Deum promptissimum esse, & paratissimum ad conferendam omnibus gratiam. Quam etiam ob causam eadem spiritus sancti dona brachia appellantur, quia Deus vniuersos cupit amplecti, & quae propterea a caelo in terram porrigit, ad complectendos vniuersos. Sic enim Rupertus libro 2. in Deuteronomium, capite vigesimo, exponit illud Deuteronomij 33. *Non est Deus alius ut Deus rectissimi ascensor caeli, auxiliator tuus, magnificentia eius discurrunt nubes, habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna.* Quid est, inquit Rupertus, habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna? nisi quod Christus ascendit in caelum, sedensque ad dexteram Patris habitat sursum, & exinde porrexit huc brachia sua sempiterna, id est spiritus sui dona fortissima. Atque haec Dei promptitudo significatur Esaiæ 65. vbi Deus ipse ita loquitur: *Inuenerunt, qui non querebant me, dixi, ecce ego, ecce ego ad gentem, quae nesciebat me, & quae non inuocabat me.* Sanè non alia ob causam Deus inuenitur à non querentibus, nisi quia ipse omnibus se offert, & omnes vias intercipit, ut ita in eum omnes, vel insciji, & imprudentes incurrant, nec eo contentus praeterea clamat, *Ecce ego, ecce ego.* Id quod etiam Christus de se ipso significauit cum dixit Canticorum 2. *Ego flos campi.* Vbi obseruandum est cum Beda in commentarijs eius loci, non se appellasse florem horti, qui non omnibus patet, sed campi, qui est omnibus expositus, ita ut eum omnes liberè possint decerpere, *Quasi diceret, inquit Beda, flos sum campi, quia per totius orbis latitudinem odoris mei gratiam innotescere cupio: quod videtur aduulisse Simeon, cum Luca 2. ita cecinit. Vide runt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum.*

Hebr. 1. 14.
Angeli, vasa gratiarum plenissima.

Angeli qui illuminant, Dei amore accendunt.
Dio. Areop.

III.
Spiritus sancti dona
Christi Domini, ex quo veluti flores pulcherrimi donorum fructus pullularunt, idcirco enim Esaias, cum de donorum spiritus sancti germinatione ex Christo locutus est, florem Christum appellauit.

De Christo dona
Spiritus sancti dona

III.
Deus paratissimus ad conferendam omnibus gratiam.

Rupertus, Deut. 33. 20

Esaias. 65. 1

Omnibus se offert Deus, Cantic. 2.

Beda, Luca 2.

Quid accipiendum sit per mare vitreum cum dicitur.

Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo.

SECTIO VII.

I. Ioachimus. Rupertus. Augustinus. Ticonius. Beda. Ricardus. Primasius. Pannonius. Baptismus cur mari comparatur. 1. Cor. 10.

Tertullianus. Origenes.

III. Ricardus. Baptismus illuminatus. Dionysius. Clemens. Gregorius. Nazianzenus. D. Chryso. Ad Hebr. 2. Beda. Primasius. Rupertus. Rom. 10. Hugo Card. Baptismus gratia.

Beda.

Ansbertus.

Rupertus. Fideles nunc vitre post resurrectionem simile crystallo similes.

Quod attinet ad mare vitreum simile crystallo: quanquam Ioachimus existimat esse sacram scripturam, quæ mare vitreum dicitur, quia in ea possunt omnes contemplari species facierum, vt quales sint le singuli cognoscant: communis tamen expositio, quam sequuntur Rupertus, Augustinus, seu Tyconius, Beda, Ricardus de sancto Victore, Primasius, Pannonius, & Glossa, est per mare vitreum intelligendum esse Sacramentum Baptismi, quod in conspectu est diuini throni, quia omnis qui ad thronum Dei cupit accedere, debet per Baptismi mare transire, & illuminari a septem illarum lampadum clarissimo lumine, que etiã ante thronum esse memorantur. Iuxta quam expositionem, Baptismus primùm appellatur mare: quia in eo vniuersa iniquitas suffocatur & perimitur: quam ob causam Paulus ad Corinth. 10. eundem Baptismum comparauit mari rubro, in quo Egyptijs submersis Hebræi incolentes in alterum maris litus euaserunt. Turrez, inquit, nefri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moÿse baptizati sunt in nube, & in mari. Quam eandem similitudinem vsurparunt Tertullianus libro de Baptismo: & Origenes homilia 5. in Exodum, vbi sic ait: *Tu baptizaris in Christo, in aqua, & in spiritu sancto, sicut in mari post te Egyptios, id est, spirituales nequitias, sed ita descendis in aquam: & eadem incolens, Egypti vero sequentes demerguntur in abyssum.*

Quod verò vitreum dicitur, variè exponitur. Prima ratio est Ricardus de sancto Victore, quia minimum in baptismo puritas, & claritas confertur diuina cognitionis, quam ob causam Græci Patres Baptismum, *Quasi quod*, id est, illuminationem appellarunt: veluti Dionysius Areopagita cap. 2. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, Clemens Alexandrinus libro 1. Pedagoga, cap. 6. Gregorius Nazianzenus oratione de baptismo, D. Chrysostomus homilia ad baptizatos: imò & Paulus Apostolus, cum dixit ad Hebræos 2. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, &c.* Quo loco illuminati, idem est quod baptizati. Secunda est Beda, Primasij, Rupertus, similitudinem vitri ad fidem referentium, quam in baptismo profitemur, quia videlicet sicut vitrum non aliud intus continet, quam quod foris perspicitur, ita qui ad baptismum accedit, non aliud debet corde credere, & aliud ore confiteri, iuxta illud ad Romanos 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Tertia est Hugonis Cardinalis: Quia sicut vitrum totum solis radijs est peruium, ita anima in Baptismo abluta, Deo tanquam soli peruia est, vt ab eo omni ex parte gratia donis illustretur. Denique subiungitur simile crystallo: Primum ad vim sacramenti explicandam: quia enim crystallum vt annotauit Beda, de aqua in glaciem, de glacie in gemmam pretiosam concrefcit, rectè baptismi gratiam exprimit, quæ lapis pretiosus est ex baptismi aqua coalescens: Deinde vt exponit Glossa, & Ansbertus, quia sicut in crystallo generatio æ, glacies hyemali pressa frigore post plurimorum annorum corticula in fortitudinem petræ obduratur: ita electorum fides inter pressuras, ac tribulationes: per incrementa temporum ad firmitatem perducitur. Denique Rupertus refert vitrum ad præsentem statum, crystallum ad futurum post resurrectionem, quia nimirum fideles modo vitrei sunt, id est, lucidi quidem, sed mortalia corpora portantes, at post resurrectionem similes erunt crystallo, id est, solidi, & vita immortalis perfructes: iuxta

tes, iuxta quam expositionem recte crystallo comparantur gloriosa corpora, tum propter immortalitatis soliditatem, tum propter claritatis, quae praestabunt, excellentiam.

Atque haec de communi expositione: non est tamen praetermittenda quorundam apud Dionysium Carthusianum interpretatio; Per mare vitreum simile crystallo, sacramentum poenitentiae intelligentium, quae ita potest explicari, ut poenitentia mare sit, propter abundantiam lacrymarum, vitreum, propter confessionis perspicuitatem, tum propter firmitatem propositi non peccandi in posterum, tum etiam propter splendorem gratiae, quae ex eiusmodi lacrymis instar crystallo pretiosae gemmae concrevit. Quamvis & illud in vitro obferuari possit, designari in eo maximum ad peccata revertendi periculum, vitreamque interdum esse nonnullorum conversionem, quae instar vitri odore occasione frangitur, nisi eiusmodi mare in crystallo duretur per fidem, ac stabilem non peccandi deinceps voluntatem. Cui expositioni concinit quod D. Gregor. lib. 4. Moral. cap. 22. & D. Ambrosius lib. 1. de interpellatione Iob. cap. 5. expendunt super locum illum Psalm. 47. In spiritu vehementi conteres naues Tharsis, ubi per naues Tharsis, poenitentes intelligunt, seu potius peccatores, qui per mare poenitentiae necessarii debent navigare, si portum salutis tenere cupiunt: quae naues conteri à Deo dicuntur, propter contritionis dolorem, quem poenitentes de anteactae vitae sceleribus concipiunt: quarum nauium nauas docet Eucherius libro vno formularum spiritualium cap. 8. esse cogitationes animum gubernantes.

Quod verò additur Tharsis, quamvis Hebraice mare significet, possumus tamen cum Ambrosio loco paulò ante citato, ad naues illas referre, quae à Salomone Rege in Tharsis mittebantur, & inde aurum, argentum, dentes elephatorum, pavones, & similia sportabant. 3. Regum 10. Etenim per aurum & argentum mira poenitentiae diuitiae, & thesauri exprimuntur, potissimumque in auro charitatis, in argento caelestis sapientia, quae argenti nomine in sacris literis non semel censetur. In dentibus Elephantorum, castitatis candor, rectè autem castitas Elephantorum dentibus id est, ebori comparatur. Primum propter candorem, deinde propter difficultatem, quam continet: ut eam seruire, ac veluti ebur ex Elephantorum ore accipere. Denique quia quemadmodum ebur diuturnitate temporis rubicundum efficitur, ita castitas diu seruata martyrij ruborem imitatur, quoniam martyrium quoddam est sine sanguine: quam ob causam Nazarenorum, qui castos non parum exprimunt, appellantur Threnorum 4. Candidiores nives, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphyro pulchriores. De continentibus enim euniloco interpretatur Rabbanus Maurus in commentarijs super Hieremiam, nòque illud, rubicundiores ebore antiquo ad castitatis meritum referre possumus, quae antiqui eboris, id est, martyrij ruborem sanguinem, sine sanguine amulatur: sed hoc etiam mercium genus poenitentes in suis nauibus conuehant. In pavonibus pulchritudo virtutum significatur. Unde Deus per Hieremiam cap. 11. conqueritur, quod populus Hebraeorum virtutum varietate, & pulchritudine minime vestiretur, illis verbis: Nunquid avis discolor hircidius meamini? Nunquid avis discolor per totum: venite congregamini omnes bestiae terrae, prope aequum ad decorandum. Quo loco per avem discoloram, pavonem intelligitur.

Poenitentiae sacramentum.

D. Gregor. D. Ambros. Psal. 47. 8. Poenitentes, naues Tharsis.

Eucherius.

III. D. Ambros. 3. Reg. 10. Sacramentis poenitentiae, diuitia.

Castitas diu seruata, martyrium. Thren. 4. 7. Rabbanus.

Pulchritudo virtutum in pavone significatur. Hier. 12. 9.

Mare aneum, quod Salomon in templo fieri, & collocari iussit describitur, & quomodo baptismi typus fuerit, explicatur.

S E C T I O VIII.

I. Siquidem communis expositio, ut paulo ante diximus, mare, hoc visum ad Sacramentum baptismi refert, ac plerique interpretes hoc loco allusionem fieri existimant, ad mare illud aneum, quod inter alia templi utensilia Rex Salomon fieri mandavit, ad similitudinem videlicet illius anei, quod Moyses ex praecepto Dei in tabernaculo posuit, Exodi 30. in eoque typo praeclara repertiuntur Baptismi Symbola, non erit, credo, iniucundum eius maris descriptionem paucis ante oculos proponere, quemadmodum refertur 3. Reg. 7. & 2. Paral. 4. Primum igitur, hoc mare erat vas quoddam aneum rotundum, quod propter sui magnitudinem mare dicebatur, consuetudine Hebraeorum, qui quamlibet magnam aquae congregationem consueverunt mare dicere, factumque erat hoc vas opere fulorio. Secundum, Diameter huius vasis ab una extremitate labij usque ad aliam, erat decem cubitorum: altitudo, siue profunditas, à fundo videlicet usque ad labium, quinque cubitorum, atque adeo erat totum mare veluti media sphaera; ita ut si alterum vas aequale illi supponeretur, efficeretur integra ac perfecta sphaera. Quam ob causam Iosephus lib. 8. antiq. cap. 3. ait, habuisse schema, id est, figuram hemisphaerij: sit etiam ut ambitus huius vasis in ipso labio esset unius & triginta cubitorum, & ferè dimidij cubiti, siquidem peripheria continet ter diametrum, & praeterea septimam partem, quam negligens scriptura dixit, resticulam triginta cubitorum peripheriam maris cingere. Tertium, Crassitudo erat trium unciarum, quemadmodum dicitur 3. Reg. 7. id est, unius palmi, quemadmodum repetitur 2. Paralipomeon 4. quod interpretans Iosephus loco paulo ante citato docet, fuisse quatuor digitorum. Quarto, Labium maris erat quasi labium calicis, & quasi folium repandi lilij, id est, aliquantulum recurvatum ad partem exteriorem. Quintum, In inferiori parte, ubi ambitus erat dumtaxat decem cubitorum, (cum enim esset veluti media sphaera, quò magis descendebatur à labio, & magis stringebatur, erant sculptura striatae in duobus ordinibus aliquas imagines continentes. Sextum, Hoc mare erat locatum supra duodecim boues aneos, quorum capita & facies foras prominebant: reliquum verò corpus sustentando mari inferiens intus latebat, qui boues dispositi erant per gyrum, eorumque tres ad Aquilonem, tres ad Occidentem, tres ad Meridiem, tres denique ad Orientem respiciebant. Postremum, Capiebat tria millia metretarum: continet autem metreta septuaginta duos sextarios, seu duodecim congios. Atque haec de maris figura, iam ad allegoriam veniamus, quam egregie tractat Eucherius libro suo tertio in libros Regum cap. 21. 22. & 23.

II. Igitur mare hoc aneum typus fuit Sacramenti baptismi, fuisse, quia ut ait Rupertus, grandi charitatis igne conflatus, & liquefactus Christus istam nobis gratiam effudit. Decem cubitis à labio usque ad labium porrigitur propter denarium praeceptorum numerum, quorum observatio fidelibus praecipitur. Rotundum erat in circuitu, ut orbis uniuersus lauacro vitae designaretur esse mundandus. Quinque cubitorum erat altitudo, quia quid quid quinque sensibus delinquimus, totum hoc nobis Dei gratia per ablutionem viuifici fontis remittit: seu ut vult Rupertus, quia paruulos vix ipsius quinque corporis sensibus functos in hoc mari mergit Ecclesia. Erat veluti media sphaera, quia fides quae in baptismo recipitur, non sufficit ad perfectionem vitae complendam, nisi mandatorum observatio

Exod. 30.

3. Reg. 7.
2. Paralip. 4.
Mare anei
figura.Diameter
&
profunditas.Iosephus.
Peripheria.Crassitudo.
3. Regum 7.
2. Paralip. 4.

Euch. l. 3.

Rupertus.
Totius maris
aneae allegorica
expositio.
Fides sine
operibus non
sufficit ad
perfectionem.

obseruatio accedat in adultis, atque adeo si media sphaera fidei addatur altera media sphaera, quae ex operibus conficitur, perfecta Christianae vitae, imo & caelestis gloriae sphaera existeret: quod videtur allusisse Paulus, cum mandatorum obseruationem plenitudinem fidei appellauit dicens ad Hebr. 10. *Accedamus cum vero corde ad plenitudinem fidei.* Resticula cubitorum triginta mare ambit, cum Sacramentum baptismi pijs communire operibus studemus. Sculpturae scilicet, exempla sunt sanctorum per imagines in illis caelata, quae necesse est nos intueri, vt videamus quibus operibus sancti Deo placuerunt. Ideo autem duo sunt ordines, vt vtriusque testamenti heroës nobis ad imitandum ante oculos proponamus. Crassitudo maristrii est vnciarum: quia perceptio baptismi, fidei, spei, & charitatis praesidio continetur. Et quoniam baptismus in memoriam Dominicae passionis, & resurrectionis accipitur, quemadmodum docet Paulus ad Romanos 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: Consepulti enim sumus in illa per baptismum in mortem, vt quemadmodum surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in nouitate vitae ambulemus.* Ideo maris labium quasi labium calicis dicitur, & quasi folium repandi lilij. Per labium namque calicis, gustus Dominicae Passionis exprimitur, quae per calicem significari consuevit, per folium autem repandi lilij, patefacta claritas resurrectionis indicatur: etenim lilium, quod comitante odoris iucundissima gratia, candidum foris calicem, intus aureum ostendit, apte gloriam resurrectionis insinuat.

Ad Hebr. 10. 22.

Sanctorum exempla.

Ad Rom. 6.

3. Dominicae Passionis gustus.

Duodecim boues, Apostoli sunt & Euangelistae, imò omnes diuini verba ministri, sic enim ab Apostolo appellantur, cum illud Deuteron. 25. illis accommodat: *Non alligabis os boui triturantis.* Nunquid, inquit, de bouis cura est Deo? an propter nos vtiq; dicitur: nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe, qui arat arare, & qui triturat spei sua fructum percipere. 1. ad Corinth. 9. Hi igitur boues mare sibi superimpositum portant, cum iniunctum sibi Euangelij praedicandi officium diligenter implere curant. *Tres ad Aquilonem, tres ad Occidentem, tres ad Meridiem, & tres ad Orientem respiciunt,* quia in quatuor mundi partibus fidem praedicant Trinitatis. *Posteriora bouum intrinsecus latent,* quia qua mercede sancti praedicatorum remunerandi sunt, nobis, qui adhuc foris sumus omnino est occultum. Quae expositio etiam est D. Gregorij 2. part. cura pastoralis, cap. 5. Alteram vero addit Rupertus, quia videlicet non debemus respicere, quid aliquando fuerint Apostoli, sed quid per Christi gratiam facti sint. Igitur faciem intueamur, vt per eam & nos illuminemur: posteriora illa lateant vt non imitemur. Deniq; rectè baptismus non solum in mari vitreo, sed etiam in aëre exprimitur, propter fidem, quae in eo suscipitur, cuius in aëre fortitudo significatur, in vitro autem quod specillorum est materia, obscura cognitio, iuxta illud Pauli 1. ad Corinthios 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate.*

III.

Apostoli, & praedicatorum cur per boues significati. 1. Cor. 9.

D. Gregor. Rupertus.

1. Cor. 13.

III.

Exod. 30. 11.

Lycranus.

D. Gregor.

Quoniam vero labium illud aëreum, quod Moyses ex praecocepto Domini in tabernaculo collocauit, de quo agitur Exodi 30. & 31. Baptismum etiam adumbravit, illud ad eius naturam explicandam pertinet, quod Moyses illud fecisse dicitur de speculis mulierum, quae excubabant in ostio tabernaculi. In quem locum Lycranus, & communiter interpretes aiunt, deuotas mulieres solitas venire orationis causa ad ostium tabernaculi, earumque plurimas ornatu ac mundo muliebri reuinciantes, specula sua offerre consueuisse, e quorum capfulis aëreis existimant fuisse totum labium confectum, quamuis alij arbitrentur circa labium fuisse affixa specula, vt sacerdotes in illis sese intuentes, vultus sui maculas elucere, ea vero specula à deuotis mulieribus oblata: cuius rei mysterium D. Gregorius homil. 17. in Euangelia (quamquam illud ad confessionem referat) sic

Divina præcipit. *specula*, inquit, *n. uicium sunt præcepta Dei*, in quibus sese sancta anima semper aspiciunt. Et si que in eis sunt fœditatis macule, deprehendant, cogitationum uicia corrigunt, & quasi ex reddita imagine suos uultus componunt. Quæ Gregorij expositio contentanea est Iacobo Apostolo, qui in epistola sua canonica, cap. 1. Dei præcepta speculis comparauit illis uerbis, *si quis auditor est uerbi, & non factor, hic comparabitur uiro consideranti uultum natiuitatis suæ in speculo, considerauit enim se & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.*

V. Aduerte autem, Apostolum subtiliter eum, qui auditor est uerbi, & non factor, non fœmine se in speculo intuenti, (quod magis proprium ad rationem similitudinis uidebatur) sed uiro comparasse, ut rem magis exprimeret: fœmina enim diu & curiosè in contemplanda facie in speculo immoratur: uir autem quali curiosum, & pertransennam, non usque ad eadē de sui compositione curiosus: ut igitur Apostolus, minimè curiosam negligentis hominis contemplationem sui in diuinorum mandatorum speculis exprimeret, eum non fœminam, sed uiro se in speculo intuenti comparauit: unde rectè subiungit: *Et statim oblitus est qualis fuerit*, quoniam propter intuenti & contemplandi celeritatem non potuit imaginem sui in animo imprimere, atque adeo citò labente effigie, statim quàm deformis turpisque sit, obliuiscitur, sequitur; *Qui autem perspexerit in lege perfecta libertatis, & permanserit in ea*, hoc est, qui in Dei mandatis sese tanquam in speculis intuebitur, & permanserit in ea: hoc est curiosè sese fuerit intuitus ad ea obseruanda: id quod uel ipsa Græca uox manifestè declarat: etenim pro *perspexerit* est Græcè *ἰδὼν*, cuius ea vis est, capite inclinato & obliquato perspicere intueđi studio. Aliam eius rei expositionem affert Rupertus lib. 2. super Leuiticum cap. 3.

Rupertus. ubi docet *specula mulierum esse exempla sanctarum animarum*, quæ tanquam pulchræ mulieres Deum amatorem suum querentes exgubabant in ostio tabernaculi cælestis nondum aperti, quandiu sacerdos magnus Christus non erat uentus. *Expediit igitur*, inquit Rupertus, *ut ingressuri cæleste tabernaculum sacerdotes lauerent manus suas ac pedes in his sanctarum animarum speculis, in fide scilicet & obedientia Abrahamæ, caterorumque uirtutibus limpidissimè, manus inquam suas, ac pedes, id est, opera simul, & cogitationes, quæ tanquam puluis pedibus, ita sensibus mentis adherent.*

Quidnam significant quatuor animalia plena oculis intus, ante & retrò.

SECTIO IX.

I. IN medio, & in circuitu sedis uidit Ioannes quatuor animalia plena oculis, ante, retrò, & intus, senas alas habentia in circuitu, quorum primum erat simile leoni. Secundum simile uitulo. Tertium, habens faciem quasi hominis. Quartum denique simile Aquilæ uolanti. Quam animalium uisionem eandem esse cum illa, quæ Ezechiel. lib. 1. apparuit, non nihil tamen in quibusdam uarietatem inferius ostendemus.

II. Prima igitur expositio est Lyrani, quam etiam affert frater Petrus Aureolus Cardinalis Minorita, in commentarijs super Apocalypsim, designari per hæc quatuor animalia, quatuor sedes Patriarchales, nimirum Hierosolymitanam primam, quæ leoni similis dicatur, propter constantiam Apostolorum, qui ibi primùm Christi resurrectionem constantè prædicarunt. Antiochenam secundam, expressam uitulo, quia colla per obedientiam subdidit Apostolorum iugo Hierosolymis commorantium; in eaque primū discipuli uocati sunt Christiani, Actuum

Astorum 11. Tertiam Alexandrinam homini similem, propter viros clarissimos, qui ibi in omni doctrinarum genere floruerunt, veluti Athanasius, Clemens, & Cyrillus Alexandrin. & alij. Quartam denique Constantinopolitanam volante Aquila adumbratam, quia in ea viri contemplatione excellentes extiterunt, veluti D. Ioannes Chryostomus Constantinopolitanus Episcopus, quamvis patria Antiochenus, & Diuus Gregorius Nazianzenus, cognomento Theologus, primum Sasinæ, deinde Nazianzi (quæ fuit eius patria,) denique Constantinopoleos antistes.

Secunda est aliorum, quos refert hoc loco Arethas, eamque sequitur Diuus Ambrosius lib. 3. de virginibus, ad finem, significari quatuor virtutes Cardinales: In leone quidem fortitudinem. In vitulo iustitiam, quia videlicet terram colit, & labore suo beneficia Domini in homines dispenfat. In Aquila temperantiam, quæ fertur, etsi fames urgeat, nunquam tamen velci præda, quam ipsa non ceperit. Denique in homine prudentiam. Tertia est Origenis homil. 1. in Ezech. Et Gregorij Nazianzeni, quem citat Xistus Senensis lib. 2. suæ Bibliothecæ, exponentiæ hæc animalia de quatuor animæ virtutibus, siue affectionibus, atque in homine indicari vim rationis: in leone, vim irascibilem, in boue, concupiscibilem: in Aquila, conscientiam, quam spiritum nominat Origenes. Quarta est Galphridi, apud Xistum Senensem loco citato, intelligentis omnes Ecclesiæ Prælatos, quia nimirum Prælati debet esse leo in vitijs persequendis: bos, in fulciendis laboribus: per compassionem homo: Aquila, per contemplationem.

Quinta est Anastasij Synaitæ, lib. 4. suorum commentariorum in Hexameron. Abulensis in Proœmio D. Hieronymi super quatuor Euangelia, quam etiam afferunt, & probant Anbertus, Rupertus, Pannonius, Arethas, & Glossa ordinaria in hunc locum, in d. & D. Hieronymus in proœmio in quatuor Euangelia, fuisse nimirum his quatuor animalibus Christum expressum, qui scilicet fuerit in incarnatione homo: In passione, vitulus: In resurrectione, leo: Aquila in ascensione. De qua expositione inferius non nihil attingemus. Non desunt etiam qui quatuor præcipuos Latine Ecclesiæ Doctores, per hæc quatuor animalia accipiant, velintque in homine designari Gregorium, qui in sacris scripturis ad hominum mores accommodandis excellit. In leone Ambrosium propter fortitudinem, & constantiam incredibilem, qua Theodosium Imperatorem ab Ecclesiæ communionem repulit, propter eadem Thessalonica factam. In boue Hieronymum, qui in Ecclesiæ campo summo opere laboravit. Denique in Aquila Augustinum propter summam ingenij aciem, qua cæteris antecelluit. Verum hæc partim mystica sunt, partim à visionis huius mysterio, & ab ipso contextu aliena.

Communis opinio, quæ omnino amplectenda est, & quam sequuntur Diuus Augustinus lib. 1. de consensu Evangelistarum, cap. 6. & in hunc locum D. Hieronymus in proœmio super Euangelium Matthæi, Beda, Primasius, Richardus de sancto Victore, Rupertus, Anbertus, Pannonius, & alij in hunc locum est, intelligendos esse quatuor Evangelistas, eorumque nomine vniuersos Diuini verbi præcones, quæ vix animalis facies cui Evangelista tribenda sit, non idem est Doctorum iudicium; etenim Andreas Cæsariensis Episcopus apud Xistum Senensem lib. 2. suæ Bibliothecæ, leonem Ioanni tribuit, vitulum Lucæ, Aquilam Marco, hominem Matthæo. Eandemque distributionem alijs tribuit Diuus Augustinus libro primo de consensu Evangelistarum, cap. 6. Verum hac opinione ut improbabiliter prætermittam, magna est dissensio inter Hieronymum, & Augustinum: quoniam D. August. loco proxime citato, quem hic sequitur Primasius, leonem

Astor. 11.

III.

Arethas.
D. Ambros.
Secunda, quatuor virtutes Cardinales.
Tertia, quatuor animæ affectiones.
Galphr.
Quarta Ecclesiæ Prælatos.

III.

Anast. Syna.
Abulens.
D. Hieronymus
Anbertus.
Pannon.
Primas.
Arethas.
Glossa.
Quinta,
Christum
Dominum.
Ecclesiæ doctores intelligunt aliq.

V.

D. August.
D. Hieronymus
Beda.
Primas.
Rich. Viti.
Rupert.
Pannon.
Como una opinio Evangelistarum intelligit.
Andr. Cæs.

Quam animalium faciem cuique Euangelista tribuit Augustinus. Matthæo tribuit, hominem Marco, vitulum Lucæ, Ioanni Aquilam, quæ animalium distributio eò placuit Augustino, quod Matthæus regiam Christi personam maximè commendauit, nam & Magos commemorat ad Christum regem querendum, & adorandum ex Oriente aduenisse, ipsùmque Herodem Regem, Christum adhuc infantem formidasse, quare optimo iure leonem, qui symbolum est potestatis regie, iuxta illud Apocalyp. 5. *Vicit leo de tribu Iuda*. Matthæo tribuendum. Marcum verò qui neque stirpem Regiam, neque Sacerdotale, vel cognationem, vel consecrationem narrare voluit, sed totus in eis versatur, quæ homo Christus gessit in terris, meritò per hominem significari. In Luca, & Ioanne cõsentit cum Hieronymo. Illud autè rectè aduertit Augustinus tria ex animalibus, quæ cæteris, præter Ioannem tribuuntur, terrestria esse, & in terra gradi: quia nimirum Matthæus, Marcus, & Lucas ea præcipuè tractauerunt, quæ Christus in carne gessit, at verò Aquilam Ioanni tribui, quia super nubila infirmitatis humanæ quasi Aquila volat, & lucem in cõmutabilis veritatis acutissimis oculis intuetur. Id quod etiam hoc loco significatur, eum ex his quatuor animalibus, quæ tamen omnia senisalis constabant, sola Aquila volans apparuit, quemadmodum illis verbis exprimitur. *Quartum simile Aquila volanti*, quia videlicet Ioannes sic cæteros Euangelistas, Euangelij sublimitate superauit, ut inter eos quantum cunque alati sint, solus volasse videatur. Atque hæc quidem fuit Augustini sententia.

V. Cæterùm D. Hieronymus in præmio super Euangelium Matthæi, aliter animalia distribuit. *Prima*, inquit, *hominis facies Matthæum significat, quia quasi de homine exorsus est præscribere: Liber generationis Iesu Christi filij David, filij Abraham.* *Secunda Leonis, Marcum, in quo vox leonis in eremo rugientis auditur cap. 1. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* *Tertia vituli, Lucam, quia à Zacharia sacerdote sumpsit initium. Quarta Aquila, Ioannem, quia sumpsit pennas Aquilæ, & ad altiora festinans de verbo Dei disputat.* Atque hæc Hieronymi sententia omnino amplectenda est: tum quia communis est Doctorum, tum maximè quia Ecclesiæ vsu, & consuetudine approbata, quæ in imaginibus & picturis Euangelistas cum eiusmodi symbolis pingi, & coli iubet. Itaque vides D. Hieronymum à principijs librorum accommodationem animalium deprompsisse, quod immeritò reprehendit loco citato Augustinus: cum ea in re morem scripturæ sequutus fuerit Hieronymus, plus enim est integrum librum à prima voce à qua incipit nominari: quod tamen in toto Pentateucho videmus obseruatum. Etenim liber Genesis appellatur Hebraicè Beresith, id est, in principio. Liber Exodi Veellefemoth, id est, Hæc sunt nomina. Liber Leuitici, Vajjera, id est, Et vocauit. Liber Numerorum, Vaiedabbet, id est, Et loquutus est. Denique liber Deuteronomij Ellehaddebarim, id est, Hæc sunt verba: quia nimirum eiusmodi libri sic incipiunt.

VI. Pergamus igitur explicare, quomodo animalium situs, conditiones, & figuræ in Euangelistas conueniant. Primùm, Quaternarius eorum numerus per quatuor animalia fuit expressus, quemadmodum & per quatuor illas columnas de lignis sethim deauratas, habentes capita aurea, & bases argenteas, è quibus pendeat velum de hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & bysso retorta opere plumario, & pulchra varietate contexto, quod in Mosaiico tabernaculo Sancta sanctorum à sanctis diuidebat, Exod. 26. Sic enim Euangelistæ capita habebant aurea per charitatem, bases argenteas per cælestem sapientiam, quæ tanquam basi innituntur. Velum etiam sustinent, quo Sancta sanctorum occultantur: quia nimirum ipsi diuina mytheria pro ratione temporis, locorum, personarum aperiant,

Euangelistarum nomina expriment in sacris. Exod. 26.

aperiunt, & occultant. Eisdem quatuor illi circuli aurei, qui in quatuor angulis mensæ propositionis ponebantur, figurabant, Exodi 25. quemadmodum vult Rupertus libro 4. in Exodum cap. 7. quoniam ipsi propositionis mensam, id est, humanitatem Christi, in qua nobis Pater salutarem gratiæ cibum, ac mysteriorum suorum ferula suavissima proposuit, tanquam aurei circuli ambiabant, ut in omnes mundi partes eorum prædicatione, & sermone portaretur. Fuerunt etiam quatuor illi scyphi, qui erant in hastili candelabri, quatuor item sphaerulæ aureæ in eodem collo catæ. Cum enim candelabrum Ecclesiam, hastile Christum figurasset, rectè scyphis & sphaerulis aureis Euangelistæ comparantur: quia in iis quasi in scyphis Christus nobis diuina mysteria propinavit, & in ijs tanquam in sphaeris celestes motus ostenduntur. Fuerunt quatuor illi apud Zachariam, fabri ferarii scilicet, ut quidam putauerunt, quos refert D. Hieronymus, Zachariæ 1. quia videlicet Ecclesiæ arma contra Hæreticorum petulantiam, & Gentilium superstitiones fabricauerunt.

Fuit illa apud Abacuch capite 3. triumphalis quadriga, de qua loquens Propheta cum Christo, ait, *Quis ascendis super equos tuos, & quadriga tua saluatio.* Hi enim per omnia sola terrarum Christum veluti triumphantem gloriose porterunt. Quæ expositio est D. August. lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 32. cui concinit cuiusdam præfati auctoris interpretatio, cuius meminit D. Hieronym. super sextum caput Zachariæ. Is enim quatuor illas quadrigas, quæ Zachariæ 6. commemorantur, in quarum prima equi rursi apparuerunt, in secunda nigri, in tertia albi, in quarta varij: ad quatuor Euangelistas retulit. Legi, inquit, Hieronymus, in cuiusdam volumine quatuor has quadrigas quatuor esse Euangelia, & equos Apostolos, per diuersitatem colorum diuersas gratias possidentes, quorum alij rursi sint in martyrio, alij obscuri, & nigri propter difficilem, & obscuram mysteriorum fidei prædicationem, alij albi gratia virginali: alij varij, habentes nimirum gratiam curationum diuersarum, imque virtutum, quæ quatuor quadriga misse sunt ad quatuor ventos cæli, id est, ad vniuersum orbem terrarum, quem sua prædicatione, & doctrina peragrarunt. Addit verò D. Hieronym. in commentarijs super tertium caput Abacuch, eosdem Euangelistas, & diuini verbi præcones, expressos fuisse in equis illis, & quadrigis igneis, quæ in circuitu Elisæi apparuerunt 4. Regum 6. in quibus, ut eo loco obseruauit Hieronymus, cum tot essent, nullus ascensor apparuit, quia nimirum Dominus erat eorum ascensor, rector, & auriga: quod rectè ad Euangelistas, & Apostolos referri potest, in quibus Dominus inuadens tanquam ascensor & auriga vniuersum orbem victor ac triumphator lustrauit. Secundò, Erant in medio, & in circuitu sedis, cum tamen viginti quatuor seniores in circuitu tantum throni, non item in medio esse dicantur, quia nimirum ad Euangelicam scripturam viginti quatuor seniores, id est, omnes sancti, & prælati, tanquam ad medium debent intendere, ut inde sibi ad benè, perfectèque viuendum documenta depromant: vel etiam, quia Euangelistæ in medio diuini throni didicerunt: quæ postea literis mandarunt, simul etiam sunt in circuitu: tum quia rursi quoque quæ docuerunt, opere præstiterunt: tum etiam quia Dei foliū aduersus hæreticos, atque ethnicos sua prædicatione, & sermone tueantur.

Tertiò, Plena sunt oculis, intus, ante & retro. Cuius mysterij multiplex affertur ratio. Prima, propter perfectam mysteriorum fidei cognitionem: videlicet, ante per scientiam futurorum: retro, per scientiam præteritorum: intus: per mundam ac rectam cogitationum discretionem. Quæ expositio est D. Augustini, seu Tiberij Bedæ, & Richardi de sancto Victore. Secunda est Primati, & Ansberti, videlicet, ante, & retro habere oculos, quia veteris, & noui testamenti vniuersa

VII.
Quatuor Euangelista, triumphalis quadriga Christi.
D. August.
D. Hieron.

4 Reg. 6 4.
D. Hieron.

Cur in medio & in circuitu sedis fuerit animalia.

VIII.
Euangelista, tam perfecta cogitatio.
D. August.
Beata Reb. Vict. Primat. Ansbert.

Q

Concordia
vtriusque te-
stamenti.

sacramenta contineant, fides enim, quæ gemino testamento profertur, omnium temporum aspectu complectur, atque ex his vtriusque testamenti concordia sumitur, cum posteriora prioribus, id est, noua veteribus, iisdem probatur oculis, quæ pariter resplendere, & inter se plena fidei veritate concinere demonstrantur. Tertia Rupertus: ante, & retro plena sunt oculis, vt sciant Euangelista, & concionatores vnde veniant, & quod vadant: quoniam de nihilo veniunt, quod eis proficit ad humilitatis custodiam, & hoc oculis retro aspiciunt, vadunt autem ad reuelationem gloriæ filiorum Dei, quod eis proficit ad fortitudinem, & hoc ante se prospiciunt: vel aliter, habent oculos retro, videndo quales ex se fuerint, & ante, cogitando quales facti sunt per gratiam, intus autem per diuinarum rerum contemplationem. Quarta: Hæc oculorum multitudo circumspectionem significat, quæ summam in concionatore requiritur, qua non solum quæ dicit, sed quomodo, & apud quos dicit, debet diligenter & accuratè expendere, quæ circumspectionem Christus discipulis ad prædicandum profecturis salis nomine commendauit Marci 9. *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.*

Concionatoris
circumspectio.

Marci 9.

Postrema, quæ non solum ad concionatores, sed ad vniuersos etiam pertinet, IX. Plena sunt oculis animalia vnde quaque, vt significetur vigilantia, quæ maxima in homine requiritur, quia videlicet vndique ab hostibus per tentationem cingimur, quare opus etiam est, vt cincti oculis incedamus. Illud verò maximè est obseruandum, nec boui laborem suum, nec leoni fortitudinem, nec aquilæ volatum, nec homini rationem satis esse ad propulsanda pericula, sed opus præterea esse vt oculorum multitudine ambiantur, quia nec labor, nec fortitudo, nec vlla ingenij acies, nec naturæ lumen rationis sufficit, si desit in rebus agendis vigilantia, & circumspectio prudentiæ, id quod in iisdem animalibus cum Ezech. c. 1. apparuerunt fuit eleganter expressum, cum enim singula quatuor facies haberent, hominis, aquilæ, vituli, leonis, & vnicuique faciei suus pes responderet, omnes tamen pedes habebat plantam quasi vituli, quia nimirum omnes, siue gratiæ, siue naturæ, vires egent prudentia, & discretione, eaque tanquam pede rectè gradiuntur. Etenim per pedem bouis, qui vngulam habet discretam, seu diuisam, discretionem Patres intelligunt: quam eandem ob causam, eam conditionem Deus in animalibus mundis terrestribus desiderat Leuit. 11. *Omne quod habet diuisam vngulam, & ruminat, in pecoribus comedetis. Quicquid autem ruminat, & habet vngulam, sed eam non diuidit, sicut camelus: non comedetis illud. Charagrillus, (id est, ericius, aut cuniculus, vtrumque enim Hebraicum nomen Saphan significat,) qui ruminat, vngulamque non diuidit immundus est: lepus quoque, nam & ipse ruminat, sed vngulam non diuidit, & sus qui cum vngulam diuidit non ruminat, horum carnis non vescemini.*

Quanta opus
sit vigilantia
ad cauenda
pericula in
spiritualibus.
Ezech. 1.

Leuit. 11. 3.

X.
Timeat, quæ
tunc cum quo
gratiosus Deo
D. August.
Psalm. 81. 11.
Psalm. 111.
D. August.
Hier. 22. 24.

Præterea illud obserua: Hæc animalia cum essent in medio & circuitu throni, adhuc tamen ibi indignis oculis, quia quantumcumque aliquis gratia apud Deum valeat, nunquam se securum debet existimare, vt curam sui abiciat, atque in hunc sensum exponit D. Augustinus illud Psalm. 85. *Latetur cor meum vt timeat nomen tuum:* Et illud Psalmi 2. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Quomodo, inquit Augustinus, *incunditas, si timor: quia modo incunditas debet esse cum timore, quia nondum est plena securitas? Audi quid Dominus dicat Hieremias 22. Vno ego, dicit Dominus, quia si fuerit Ieconias filius Ioaachim regis Iuda, annulus in manu dextera mea, inde euellam eum, id est, quamuis ita eum diligam, vt eo tanquam annulo manum exornem, aut ita apud me gratia valeat, vt eo tanquam sigillo literas omnes obsignem (inseruiebant enim annulli pro sigillis,) tamen si curam sui abiecerit, & negligens efficiatur indè euellam eum, (quod verbum sonat eius-*

modi

modi annulum fuisse maximè in digito strictum, & summam gratiam declarat, id est, abijciam eum, neque iam amplius eo tanquam annulo exornabor: neque utar tanquam sigillo. Imo eo vigilantiora debent esse animalia, quo propinquo-
 ra sunt diuino throno, quoniam plures sunt hostes, qui felicitati, quæ cum securitate coniuncta esse solet, infidiantur, que modum obseruauit D. Hieron. super illa uerba Psal. 90. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Plures, inquit, sunt qui insidiantur dextra, quam sinistra: propterea à latere mille cadent, & à dextris decem millia: ubi enim maior pugna, maior victoria.* Vnde Dauid, cum securum se arbitraretur in prosperis, ut ipsemet confitetur illis uerbis, Psal. 29. *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in eternum, Domine in voluntate tua, prastitisti decori meo virtutem:* id est, gratia tua rebus meis præclaris dedisti firmitatem, & gloriam: tamen paulo post ob eam ipsam confidentiam, & securitatem paululum demissus à Deo itatim concidit: vnde subiungit, *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.*

Felicitatis plures hostes insidiantur. D. Hieron. Psal. 90. 7. Psal. 29. 7.

Quartò, Singula eorum habebant alas senas in circuitu, totidemque Seraphim illa habebant, quæ uicit Esaias c. 6. Cum uerò per *alas* significetur cognitio, qua mens ad superiora conscendit, merito arbitratur Beda, Rich. de S. Vict. Pannon. Ansber. Hugo Card. Nicolaus Zegerus, & Glossa. Per *alas senas* perfectam, & cummulatam Euangelistarum scientiam exprimi, quæ suo modo in uiris Euangelicis necessaria est, numeratur enim senarius numerus imperfectis numeris: quanquã Richard. de S. Vict. hunc senarum alarum numerum per sex cognitionum genera ita partiatur: ut prima ala sit cognitio legis naturæ. Secunda, cognitio legis ueteris. Tertia, lectio prophetarum. Quarta, lectio sapientiæ Euangelicæ. Quinta, lectio institutionis Apostolicæ, & Sacrorum Conciliorum. Sexta denique, lectio Doctorum, & interpretum Scripture sacre: quibus omnibus perfectio, & plenitudo scientiæ continetur. Non sunt propterea contemnendæ aliæ quoque expositiones, ueluti senarum quodque animal alas habere, quod uiri Euangelici ea, quæ in sex mundi ætatibus partim peracta sunt, partim peragenda superiunt, sua cognitione, & prædicatione comprehendant, ut uult Anbertus: uel quod uersa Dei opera quæ sex diebus sunt perfecta, contemplantur, ut alij quidam interpretantur: uel quod senæ in quatuor animalibus ala efficiunt uiginti quatuor, quæ totidem ueteris testamenti libris respondent: quibus Euangelistarum fulcitur auctoritas: quam etiam expositionem affert Beda, uel ad significandam uelocitatem ministerij, ut ait Areth. uel denique ut exillimat Ioachimus, ad significandam sex uirtutes præcipuas, quibus Euangelistæ, id est, concionatores debet excellere, putat enim huiusmodi alas sic fuisse in animalibus dispositas, quemadmodum erant in Seraphim apud Esaiam, ut nimirum duabus pedes, duabus faciem uelarent, & absconderent, aliisque duabus uolarent, atque duas alas, quibus uelant pedes, esse penitentiam, & misericordiam, quibus confusio nuditatis nostræ, id est peccatorum, contegitur, iuxta illud Psalm. 31. *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum teſta sunt peccata.* Nam de penitentia dixit Petrus Actor. 3. *Panitemini, & conuertimini, ut deleantur peccata uestra.* De misericordia autem Christus Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Duas uerò alas quibus facies tegitur, esse humilitatem, & patientiam, quibus sancti uiri solent utilitatem suam, quæ per faciem designatur, occultare, ne per arrogatiam efferantur. Denique duas, quibus uolant esse fidem, & spem, quibus sancta animalia in sublime feruntur.

XI. Esai. 6. Beda. Rich. Vict. Pannon. Primasius. Anbertus. Hugo Card. Nicol. Zeger. Glossa. Euangelistarum perfecta cognitio.

Beda. Areth. Ioachimus.

Psal. 31. 1. Acto. 3. 19. Matth. 5. 7. Sancti iustitiam suam occultant.

Quintò, *Non habebant requiem die de nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat & qui est, & qui uenturus est:* quia continuò, & sine intermissione, & tam in prosperis, quam in aduersis (utrumque enim significant

XII:

In prosperis,
& aduersis a
nobis prædi-
candus Deus.
Esaï. 6. 3.

In concioni-
bus extremi
iudicii saepe
mentio fa-
cienda.

illa verba, *Die de nocte.*) Trinitatem personarum, & unitatem essentiae prædicant, & venerantur. Cum enim ter, *sanctus* repetitur, Trinitas significatur personarum. Cum verò dicitur, *Dominus Deus omnipotens*, essentia unitas exprimitur: qua etiã acclamatione utebantur Seraphim illi apud Esaï. cap. 6. cum dicebant alter ad alterum, *sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum*: verba illa, *qui est & qui erat*, æternitatem significant, ut iam aliàs diximus. Quod verò additur, *& qui venturus est*, ad humanitatem spectat redemptoris, qui in fine mundi venturus est ad iudicandum, ex quo simul admonentur concionatores, saepe in sermonibus extremi iudicii, & rationis Deo reddendæ mentionem facere. Postremò, cum animalia gloriam Deo exhiberent, procidebant vigintiquatuor seniores ante sedentem in throno, & ante eum coronas mittebant, quas capitibus gestabant, quod iam est paulò fusiùs explicandum.

Quid sit vigintiquatuor seniores procidere ante sedentem in throno, & mittere coronas suas ante thronum.

Procidebant vigintiquatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum.

SECTIO X.

- I. Illustre & magnificum est, quod Ioannes adiungit, *Cum darent*, inquit, *animalia gloriam & honorem, & benedictionem, sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum, procidebant vigintiquatuor seniores ante sedentem in throno, & adorauerunt viventem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes, Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatē tuam erant, & creata sunt.* Id quod congruenter ijs, quæ paulò ante de quatuor animalibus dicta sunt, illud significare, Ecclesiam vniuersam, quam vigintiquatuor seniores, tanquam præcipua eius membra repræsentant, *quatuor animalibus*, hoc est Euangelistis, & reliquis concionatoribus diuina mysteria, atq; iudicia commemorantibus, Deum humili ac supplici modo venerari, quod est procidere ante sedentem in throno: coronasque suas ad eius pedes abijcere, eaque testificatione declarare Deum bonorum omnium actorem esse, & omnem suum siue naturæ, siue gratiæ, siue gloriæ splendorem, imò & vniuersas victorias, quas de suis hostibus gloriôsè consequitur, coronasque ipsas, hoc est, præmia, quibus ob eiusmodi victorias triumphosque in suis fidelibus coronatur, Deo à quo est *Omne datum optimum, & omne donum perfectum*, & qui in ipsis fidelibus præcipuè per suam gratiam dimicat, & vincit, accepta est referenda: vnde meritò seniores exclamant, *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt*: hoc est, Dignus es cuius magnitudo ab omnibus vbique celebratur, dignus cui omnes honorem, cultum & venerationem tribuant: dignus etiam qui accipias virtutē, Græcè *δύναμις*, hoc est, potentiam & fortitudinem, id est, qui accipias ab omnibus fortitudinis tuæ, atq; potentia confessionem, testimoniūq; clarissimum. Ita hoc loco intelligendum arbitramur, *Accipere virtutem siue potentiam*, non verò sicut quidam alij putauerunt, positum esse, *Accipere virtutem*, pro virtutem ostendere se de hostibus suis vindicido. Cum enim his verbis vigintiquatuor seniores ob ea, quæ iam facta cōspexerant, in præsentem gratiarū actionem prorumpant, nondum autem vindictam de hostibus sumptam vidissent, par est credere eos, nō ad potentiam, quam Deus

Omnia nostra bona Deo referenda.

Accipere virtutem qui hic.

in

coronas illas aureas, quas capitibus gestabant, è capitibus detractas ante thronum abiicerent. Atque in primis Arethas cum Andraea Casariensi, ex his coronis argumentatur sanctos non solum victores, sed etiam reges appellari: sic enim ait, ἐστὶ χρυσῆ αὐραία ὁ σφραγισμὸς τοῦ βασιλέως, βάλαντος ἐν ἐνώπιον τοῦ θρόνου τὸ ἴδιον πρὸς τὸ ἀνὰ ἄλλο, ἢ τὸ αὐτὸς ἡ ἀληθὴ βασιλεία, ἢ τὸ αὐτὸς πᾶσι παντοκράτωρ ἐπὶ πάντων ἀνατιθέασι θεῶν: hoc est, Est etiam corona Regni symbolum: abiicientes igitur coronas ante thronum, quid quaeso aliud, quam certum verumque regnum, & contra omnes victoriam per omnia Deo accepta referunt? Itaque duo vult Arethas, vnum est, sanctos verè Reges esse: alterum eos suum istud regnum Deo acceptum referre, cum coronas ante thronum supplices, venerabundique abiiciebant. Nos de regno sanctorum aliàs in hoc opere commodius, nunc de ista coronarum ante Dei thronum humili projectione dicamus.

Arethas.
Andr. Casar.

Sancti, &
vires Reges.

V. Sit igitur nostra observatio, debere omnes Reges ac principes, exemplo horum viginti quatuor seniorum coronas suas quantumcumque sint aureas, hoc est, dignitatem, magnitudinem, potentiam, splendorem atque opes ante Dei thronum venerabundos abiicere: quod tunc fit cum hæc omnia, non solum Dei munere, & beneficio, habere confitentur, illique tanquam omnium bonorum auctori largitori que accepta referunt. Sed præterea in Dei cultum & venerationem conferunt, etque præ Dei amore, eiuque sanctissimæ voluntatis observacione omnino aspernantur, quid enim quaeso aliud est coronas aureas ante Dei thronum mittere, quam Dei in throno confidentis pedibus calcandas subiicere, hoc est divino cultui, & venerationi consecrare: & si opus ita fuerit, pro Dei sanctissimis legibus retinendis, præceptisque observandis, pro nihilo ducere. Id credimus significatum fuisse 4. Reg. 11. cum Joaida pontifex in Ioas filio Ochozæ Rege declarando, coronandoque regalem capiti eius coronam imposuit, & deinde librum legis dedit in manum: ut intelligeret potestatem regalem debere divinæ legi servandæ, retinendæque servire: principemque debere legem Dei manu, hoc est, opere ipso, & observacione tenere: pro eaque retinenda potestatem suam, quæ manu, etiam exprimitur, quando cunque opus fuerit, expromere, ita accipienda sunt verba illa, *Posuit super eum diadema & testimonium*, quo loco per *testimonium* liber Deuteronomij, in quo lex continebatur, de cõmuni sententia intelligitur, qui in manum Regis quando vngebatur tradidit à Leviticis consueverat: eratque vna ex præcipuis ceremonijs, quæ in vngendis, renuntiandisque regibus apud Iudæos servabatur: quanquam enim 4. lib. Regum citato, tantum dicitur, *Posuit super eum diadema & testimonium*, nec explicatur, quomodo *testimonium* fuerit Regi explicatum, tamen 2. lib. Paralip. c. 23. disertè describitur, fuisse ei librum legis in manus traditum illis verbis, *Dederunt in manu eius tenendam legem*. Porro hæc ceremonia ortu habuit ex divina lege, quam Deus Deuter. 17. sanciverat: *Cum, inquit, ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & dixeris, Constituiam super me Regem, cum constitueris, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum: postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legum huius in volumine accipiens exemplar à sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum, legesque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt.*

Opes & coronas suas divino cultui consecrant Reges.

4 Reg. 11. 12.

2. Par. 23. 11.

Deut. 17. 14.

VI.

Quia igitur Leviticæ exemplar Deuteronomij à Rege transcriptum, ipsi tradere lege Domini tenebantur, id præcipue faciendum putarunt, eo ipso tempore, quo Rex vngebatur, tunc enim ut eam legem implerent, librum Deuteronomij

nij in Regis manu tradebant. Cernis igitur in Regibus Hebræorum vngendi illud obseruari solitum, vt corona regalis capiti eius imponeretur, liber verbõ legis in eiusdem manu traderetur, vt intelligeret, se eõ præcipuè Regem conliti- tui, vt regiam dignitatem, atque potentiam ad legem Dei, tum à se, tum ab omni- bus sibi subiectis populis obseruandam conferret, quod nihil est aliud, quàm re- galem coronam ante Dei thronum mittere, atque Dei pedibus ad illius in òmni- bus rebus famulatum obsequiumque, si ita necesse sit, etiam calcandam prompta & alacri voluntate subijcere. Tantum verò abest, vt reges si ita coronas suas ante Dei thronum mittant, earum splendorem imminuant, vt potius magis ampli- ficent, regnorumque suorum propagationem, & diuturnitatem Dei ope & præsi- dio consequantur: quemadmodum Deus ipsis eodẽ capite Deuteronomij pollicetur, subiungens: *Vt longo tempore regnet ipse & filij eius super Israël.* Et magni- ficis verbis repetitur Sapien- tiæ 6. vbi ita sapiens vniuersos Reges alloquitur: *Cura disciplina, dilectio est, & dilectio custodia legum illius est, custoditio autem legum, consum- matio incorruptionis est: incorruptio autem facit esse proximum Deo: si ergo delectamini sedibus & sceptis ò Reges populi, diligite sapientiam vt in perpetuum regnetis, diligite lumen sapientie omnes qui præestis populis: quo loco illa verba, *Vt in perpetuum regnetis,* non solura ad celeste regnum, quod in omnem æternitatem probi & sancti Reges posside- bunt, referenda sunt, sed ad regnum etiam terrenum, quod in posteris eiusmodi Regum, si & ipsi parentum sanctitatem æmulari studeant, perpetuum & stabile permanebit, quare qui regalibus thronis, sceptisque delectantur, si diu regnare cupiunt, imperiumque ad posteros diuturna successione transmittere, coronas suas ac sceptra ad Dei pedes cum viginti quatuor senioribus abijciant.*

Nec verò tantum corona regalis Deo subiecta esse debet, sed etiam tiara Pon- tificia, vt vtraque corona & sacerdotialis, & regia, ante Dei thronum abjecta, di- uinis legibus, & imperio seruiat. Cuius rei significanda causa præceptum est à Domino, vt super tiaram Pontificiam aurea lamina poneretur, in qua hæc infri- ptio inculpta esset יהוה יקר id est, Sanctum Domino: sic namque legimus Exo- di 28. *Facies & laminam de auro purissimo, in qua sculpsit opere calatorum, Sanctum Domi- no, ligabisque eam vitta hyacinthina, & erit super tiaram imminens fronti Pontificis: erit au- tem lamina semper in fronte eius, vt placatus sit ei Dominus.* Itaque nomen Dei tetra- grammaton super caput & tiaram Pontificis eminebat, vt omnes Pontifices in- telligerent, Pontificiam potestatem, auctoritatemque Deo esse in omnibus sub- iectam, deberetque se vel ipso habitu formamque ostendere, se Dei nomen in capite gestare, in fronteque præferre, atque ad eius voluntatem & sanctiones, omnia studia, & gubernandi rationem conformare: hoc enim est, cū viginti quatuor senioribus, in quibus ipsi præcipuè cõprehenduntur, coronas suas ante Dei thronum abijcere.

Cæterum dubitabis vtrum in lamina ista aurea, inculpta essent duo illa verba, Sanctum Domino, an duntaxat nomen ipsum ineffabile Ichouah, Iosephus lib. 3. Antiq. cap. 8. folius nominis Ichouah mentionem facit: *Pileo, inquit, quales ca- teri sacerdotes Pontifex utebatur, super quem extabat alius consutibus ex hyacintho varia- tus, hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua stitabantur caliculi aurei, quales videmus in herba, qua apud Græcos dicitur Hyoscyamus: eiusmodi corona ab oc- cipitis circum tempora vtraque procedebat: nam frontem isti caliculi non ambiabant, sed ceu lorum quoddam latum aureum, quod sacris characteribus Dei nomen habe- bat incisum.* Similiter Dnaus Hieronymus ad Fabiolam de veste sacerdo- tali, de solo nomine Dei loquitur. *Octava, inquit, est lamina aurea, id est יהוה* in qua scriptum est nomen Dei Hebræico quatuor literis, י הוה, הוה, ו הוה, הוה.

Quorsum lex in manu tra- deretur regis Hebræorum cum creaba- tur.

Prærogat im- perium diu- na legi ob- seruatio. Sap. 6.

VII. Regalis, & Pontificia corona Deo subijcienda. Exod. 28 36.

VIII. In aurea Pon- tifici lamina quid incul- ptum.

D. Hieron.

Q. iiii.

quod apud illos ineffabile nuncupatur: hac super pileolum lineum & commune omnium sacerdotum, in pontifice plus additur, ut in fronte vestra hyacinthina confringatur, totamque Pontificis pulchritudinem Dei vocabulum coronet, & protegat.

IX.

Alij aliter sentiunt, idque videtur editio vulgata magis sonare, siquidem habet, *Facies & lamina de auro purissimo, in qua sculpsit sanctum Domino, seu sanctum Iehouah, nisi quis dicat, sanctum Iehouah, positum esse pro sancto nomine Iehouah, ut sit sensus, sculpsit in ea sanctum nomen Iehouah: quanquam ea interpretatio accommodatior videretur, si dictum fuisset Sanctum Domini, id est, sanctum nomen Iehouah, non vero ut nos habemus, Sanctum Domino: quod aliud quiddam sonat. Verum quicquid sit, semper idem mysterium redditur: nam si solum nomen Iehouah in lamina illa sculptum erat, illud ostenditur vniuersum illum apparatus Pontificium, tiamque ipsam Pontificis capiti impositam, debere nomini Dei esse subiectam, eiusque imperio, audito tantum vel ipso nomine, obedire, atque pro tanti nominis sanctitate, & veneratione nullum laborem, aut discrimen formidare. Si autem duo illa verba incisae erant, illud innuitur, totam dignitatem auctoritatemque Pontificiam Deo ipsi consecratam sanctamque fore, vel potius, quoniam sanctum, eo loco substantiue usurpatur, & pro sanctitate ponitur, tiam dignitatemque Pontificiam debere diuinæ sanctitati & cultui deservire. Porro aduerte eandem illam laminam auream appellari Ecclesiast. 45. coronam auream, cum dicitur, *Coronam auream super myrram eius, expressam signo sanctitatis*: Et diadema Sapientiae 18. illis verbis: *Magnificentia tua in diademate capitis illius scripta erat*: Nec abs re corona & diadema dicitur, quoniam erat instar semicirculi ab aure ad aurem, super frontem protensa, vnde coronæ & diadematis speciem referebat. Atque hæc coronæ, ac diadematis appellatio cum viginti quatuor seniorum coronis, quæ ante thronum Dei mittuntur, magis consentire & luculentiusque sic apparet, debere quoque Pontificem coronam suam ad Dei pedes abijcere. Huius enim officij admonetur cum iubetur magnificentia Dei, hoc est magnificum & ineffabile Dei nomen in diademate gestare, & coronam suam expressam signo sanctitatis præferre, hoc est Dei sanctitate & nomine quasi sigillo impressam, & ob signatam. Sic enim accipienda est Græca sententia, *ἐκ τὸ πρῶτον ἀποστῆδος ἀγιάσματος*, hoc est, si verbum verbo reddas, expressionem sigilli sanctitatis: ut videlicet Pontifici ipsum Dei nomen, & sanctitas pro sigillo quodammodo sit, coronamque ipsius Pontificia, ita sit Dei nomine & sanctitate ob signata, ut nulli alteri rei quàm diuinæ voluntati adimplendæ inseruiat, sicut res sigillatæ ei tantum cuius sigillum impressum gerunt, aut non nisi de eius mandato & præscripto vti esse consueuerunt. Ex his iam cernis, tam regales, quàm Pontificias coronas esse ante Dei thronum abijciendas, omnesque Reges ac Principes, Pontifices etiam, & reliquos, qui excelsum aliquem & sublimem dignitatis obtinent locum, exemplo istorum viginti quatuor seniorum debere potentiam omnem suam, dignitatem, splendorem, Deo subijcere, & cum opus fuerit eiusdem Dei pedibus calcanda præbere, & tunc demum se verè Reges, Principes, magnosque esse ducere cum ante Dei thronum supplices venerabundique acciderint, totosque sese eius cultui, & venerationi consecrarint.*

Deo, vel ipso nomine audito, obedire debet ei Pontifex.

Lamina aurea, Pontificis corona etiam dicebatur.

Solius Dei voluntati inseruiat dignitas Pontificia.

Quomo-

Quomodo Christum hæc eadem animalia figurauerint.

SECTIO XI.

Christum Dominum in eisdem quatuor animalibus expressum fuisse affirmant Primasius, Rupertus, Arethas, Pannopius, & Glossa ordinaria in hunc locum, & D. Hieron. in proœmio in quatuor Euangelia, Anastasius Synasta lib. 4. suorum commentariorum in Hexameron, & alij. Quia nimirum Christus in incarnatione homo fuerit, in passione vitulus, in resurrectione leo, aquila in ascensione. Vel aliter: quia per hominem designatur eius humanitas, per vitulum sacerdotium, per leonem regnum, per aquilam diuinitas, quæ utraque expositio est D. Hieronymi loco paulò ante citato. Eiusdem quod Christus per incarnationem homo fuerit manifestum est; similiter quod per passionem vitulus, cum vitulus sit iuxta legem immolatiuum animal. Quam ob causam dixit Paulus ad Cor. 5. *Pasccha nostrum immolatus est Christus.* Quod etiam in ascensione aquila fuerit, altissimus demonstrat aquilæ volatus, quem Christus longè sua ascensione superauit, cum teste Apostolo ad Ephesios 4. super omnes caelos ascenderit.

Illud tantum aliquis querat, quomodo in resurrectione leo fuerit, respondeamus. Præcipuam rationem esse, quod infinitam diuinitatis suæ potentiam ostendebit, cum seipsum à mortuis suscitauit, vt rectè dictum sit Apoc. 5. *vicit leo de tribus Iuda.* Secunda ratio defumitur ex eo quod refert D. Ambrosius lib. 6. Hexameron capite 3. leonis voci tantum naturaliter inesse terrorem, vt multa animalium, quæ per celeritatem possent impetum eius euadere, rugientis eius sonitu, quasi vi ætonita, atque ista deficient: ita enim Christus post resurrectionem, per Apostolorum prædicationem, instar leonis rugiens gentes nulla vi, sed solo rugitu victas tenuit, atque ad sui cultum, & adorationem pertraxit, quod ad litteram cecinit Abacuc cap. 3. cum dixit. *Asperxit, & dissoluit gentes,* seu vt Septuaginta translulerunt, *Asperxit, & distabuerunt gentes,* sic enim legit D. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, id est, *ἐτάρχη* non autem distare facit, id est, *ἐξήγαγεν* vt habent codices Complutensis, & Regius. Tertia ratio depromi potest ex eo quod refert Plinius libro 8. historia naturalis cap. 16. leoni tunc præcipuam generositatem aduenire, cum colla armosque vestiunt iuba: Ita enim Christi maiestas præcipuè per resurrectionem splenduit, nam tunc immortalitatis vestibus indutus, quasi leo iuba per colla, armosque sparit, generosum se leonem de tribu Iuda, & hostibus terrificum ostentans: quod typicè in Sampsonè fuit expressum, cum ei renatis crinibus fuit fortitudo restituta. Vnde Augustinus sermone 108. de tẽpore. *Capilli, inquit, rediuiui capus Sampsonis iterum vestierunt, quia Iudæi nec resurgentem Christum cognoscere voluerunt.* Quarta ratio duci potest ex eo, quod de catulo leonis memoriæ proditum est, cum primùm nascitur, tribus integris diebus ac noctibus dormire: Deinde verd patris rugitu suscitari: quod etiam refert Origenes homilia 17. in cap. 49. Genesis. Atque in hunc sensum de Christo interpretatur illam Iudæ benedictionem, quæ eodem cap. commemoratur, *Catulus leonis Iudæ, ad prædam glimmi, ascendisti, requiescens accubisti vt leo, & quasi leona quis suscitabit eum?* vbi docet Christum instar catuli leonis tribus diebus ac noctibus in sepulchro quasi dormiuisse, & die tertio fuisse à Patre suscitatum.

Eundem locum de Christi resurrectione intellexerunt D. Athanasius in quaestionibus ad Antiochum, (si eius sunt) quaestione 103. D. Ambrosius in benedictionibus Patriarcharum, D. Augustinus libro 26. de Ciuitate Dei cap. 41.

I.
Primas.
Rupertus.
Arethas.
Pannop.
Glossa.
D. Hieron.
Anast. Synast.
Quatuor
animalia
Christo variè
adumbrant.
1. Cor. 5. 7.

II.
Christus in
resurrectione
quomodo leo.
Apoc. 5. 5.
D. Ambros.

Abacuc. 3. 6.
D. Hieron.
Theodoret.
Theophyl.

Plinius. 8.

Christi forti-
tudo in resur-
rectione in
Sampsonè ex-
pressa.
D. August.

Origenes.

III.
D. Athanas.
D. Ambr.
D. August.

LEGAS
IN
APOCALYPTICA
CAPITULO
V. V. 5.

D. Bernard.
D. Gregor.
Psalm. 101. &
Christus Pe-
licano com-
paratur.
Gregor.

D. Bernard. homilia super Misus est. Et D. Gregor. in sua explanatione super se-
ptem Psalm. pœnitentiales, super illa verba, quarti Psalmi pœnitentialis, qui est
inter Psalm. 101. *similis factus sum pellicano: vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius in
tecto*, vbi Greg. Simile quiddam narrat de pellicano. *Ferunt, inquit, Philoſophi, quod
pellicanus filios suos statim vt nati sunt, interficit, postea vero per triduum multo dolore se afficit,
eisque quodammodo naturæ affectum ostendit, postea vero mater seipsam vulnerat, eosque san-
guine suo resuscitat. Quis vero Pater noster, & mater nisi mediator Dei, & hominum, qui oc-
cidit in nobis omnem iniquitatem, vt meliorem inueniamus resurrectionem?* Hæc tenus Greg.
D. August. Idem refert de Pellicano D. August. in Psalm. 101. vbi eam ob causam loquentem
facit Christum illis verbis. *similis factus sum pellicano*: atque ad vtramque, siue de
leone, siue de pellicano sententiam referri potest illud Osee. 6. *Vniſcabis nos post
duos dies, in die tertio suscitabit nos*: Qui locus, (quicquid alij dicant) de resurrectione
Christi intelligendus est: quemadmodum interpretati sunt Tertul. lib. aduersus
Iudæos, Lactantius lib. 4. Diuinarum institutionum, cap. 9. Origen. hom. 5. in
Exod. Rufinus in expositione Symboli, D. Cyprian. lib. 2. Testimoniorum ad-
uersus Iudæos, c. 24. D. August. lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 28. Greg. Nyssen. lib.
de cognitione Dei, D. Hieronymus, & Theodoretus in eum locum. Denique
præter alios Dorotheus martyr in Synopsi, vbi addit epim locum Osee fuisse in-
dicatum à Paulo 1. ad Cor. 15. cum dixit, *surrexit tertio die secundum scripturas*.

Tertul.
Lactan.
Origenes.
Ruffin.
D. Cypri.
D. August.
Greg. Nyss.
D. Hieron.
Theodoret.
Dorothe.
Cor. 15.

III.
Christus etiam
moriendo,
leo.
Anast. Syn-
tai.

Mors Chri-
sti, moris, &
dissimulo ter-
rificæ.
D. Gregor.
Cætes.

Non defunt etiam qui similitudinem leonis ad ipsam mortem Christi refe-
rant, idque velint significatum eodem loco Genesis supra citato, cuius similitu-
dinis multiplicem afferunt rationem. Prima redditur ab Anastasio Synaita libro
4. suorum commentariorum in Hexameron, (& habetur in appendice Bibliothe-
cæ Sanctorum Patrum) quia videlicet quemadmodum de leone dicitur, quod
non dormiat, id quod ex eo ortum habuit, quia dormit apertis oculis: Ita Chri-
stus in sepulchro apertum habuit diuinitatis oculum, separata enim anima à
corpore, vtrumque tamen mansit vnitum hypostaticè Verbo. Aliam non minus
elegantem affert Anastasius quæstione illa 103. ad Antiochum: *Quis quemadmo-
dum, inquit, leo etiam cum dormit terribilis est, sic mors Dominica terrori fuit, tum morti,
tum diabolo*. Tertia est D. Greg. in 4. pœnitentialem. *Præ leo, inquit, requiescens accubuit,
quia mortem sponte subiuit*.

V.
Christus in-
star leonis
nihil sibi ti-
muit in mor-
te.
Psalm. 21. 13

Enthym.

Haimo.
Magister
Sensent.

Quartam denique excogitauit Caietanus super cap. 49. Genesis, Christum
nimirum accubuisse vt leonem, quia securus accubuit, nihil videlicet sibi timens:
quæ ratio ex eo potest illustrari, quod leo tela dicatur spernere, & illa in eo nobi-
lior animi significatio emineat, quod qualibet magna canum, & venantium vr-
gente vi contemptim incedit, quod mirificè in Christum conuenit, qui vndi-
que à venatoribus circumuentus, quasi præda nihil vel in ipsa morte sibi timuit,
quò pertinet illud Psalmi vigesimi primi, *Circumdederrunt me anes multi*: imò eius
hostes nihil ipsi nocuisse, sed sibi ipsis. Idem apud Regium vatem alibi significa-
uit, cum dixit, *Circumdederrunt me sicut apes*: qua similitudine quamuis Euthymius,
& alij existiment significatam fuisse vehementiam, & promptitudinem Iudæo-
rum aduersus Christum, apes enim fauo mellis inuento summa promptitudine,
ac vehementia illum circundant, ac mellis succum exugunt. Nihilominus Hai-
mo, & Magister sententiarum arbitrantur indicatam ea similitudine fuisse Iu-
dæorum propter mortem Christi, euerſionem: quemadmodum enim apes in-
fixo aculeo sese euiscerant & moriuntur: ita Iudæi occiso Christo, perierunt.
Sed non est præmittenda hoc loco expositio D. August. *Mel, inquit, apes ope-
rantur in fauis, nescientes igitur persecutores fecerunt cum nobis in passione dulciorem*.

Vtrum

Utrum eadem animalia Ioanni hoc loco, & Ezechieli, capite primo fuerint ostensa.

SECTIO XII.

Diversam fuisse utramque animalium visionem existimavit Clarius Isidorus I Brixianus suis scholijs super Ezechielem cap. 1. potestque ea sententia confirmari. Primum, quia unum quodque animalium Ezechielis quatuor habebat facies, Ioannis autem animalia singula singulas. Deinde quia animalia Ezechielis quaternis alis constabant, Ioannis senis. Adhuc, quia animalia Ioannis dicuntur plena oculis antè, retrò, & intùs, quòd Ezech. cap. 1. de suis non dixit. Postremò, quia apud Ezechielem, primum animal habet faciem hominis. Secundum, leonis. Tertium, bouis. Quartum, aquilæ: cum longè alium ordinem seruent animalia Ioannis. Primum enim locum obtinet leo, secundum vitulus, tertium homo, aquila postremum.

Ceterum communis sententia, quæ vel eo ipso magis nobis probari debet, est, eadem animalia tam Ezechieli, quam Ioanni, per visum apparuisse, sic enim sentiunt D. Hierony. proëmio in Matthæum, D. Thomas, Rupertus, Richardus de S. Victore, Ansbertus, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus in hunc locum, Glossa ordinaria in primum caput Ezechielis, Abulensis tomo 1. in Matthæum in 3. prologo super quatuor Euangelia. Prima ratio prioris sententiæ facile soluitur, eo animaduerso, quamvis Ezechielis animalia quatuor facies haberent, unam tamen in singulis fuisse præcipuam, à qua denominationem fuebant, quòd Ezechiel ipse significavit, dum in animalibus nominandis singulas facies singulis tribuit: quàm eandem ob causam, eæ soli Ioanni apparuerunt, vel si quaternæ in singulis etiam illi fuerunt ostensæ, præcipuarum sibi duntaxat rationem habendam existimavit, quippe quæ sola ad eius institutum pertinerent. Ad secundam respondemus, additas esse in visione Ioannis binas alas singulis animalibus, mysterij causa, ad maiorem videlicet rerum diuinarum cognitionem, quæ per alas exprimitur, ut supra diximus, declarandam, quæ noui testamenti Patribus tributa fuit. Ad tertiam dicimus etiam Ezechielis animalia plena oculis fuisse quemadmodum idem testatur cap. 10. ubi iterum visionem commemorat. Ad quartam denique dicendum est, mysterij etiam causa animalium ordinem fuisse mutatum, quia ut vult Ansbertus, mundus in Christum credidit, non quia natus fuit ut homo: non quia passus ut vitulus: sed quia resurrexit ut leo, iuxta illud Pauli 1. ad Cor. 15. *si Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra*: Inde est quod Ioannes, qui propter prædicationem resurrectionis vidit conuersionem mundi futuram, primo loco faciem leonis posuit: quia quamvis primus sit in ordine homo, sed primus est in virtute leo: quod videtur indicasse Paulus cum dixit 2. ad Cor. 5. *Et si noueramus Christum secundum carnem, sed iam nunc non nouimus*, ac si diceret, non iam in homine, & vitulo, moriturum Christum credimus, sed post mortem surrexisse leonem hostibus quidem terribilem, sed cum suis in æternum regnaturum confitemur.

Quot alis constarent Ezechiel, et Ioannis animalia.

Eadem animalia Ezechiel et Ioan. ostensa. D. Hieron. D. Thom. Rupert. Rich. Vict. Ansbert. Hugo Card. Dion. Carth. Glossa. Abul.

In singulis Ezech. animalibus una fuit præcipua facies.

Quorsum binas alas haberent Ioannis, quàm Ezech. animalia. Item eorundem animalium ordinem quo mysterio mutatus. Ansbertus. 1. Cor. 15. 14. 2. Cor. 5.